



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

LP
27
224



Exp 27. 2. 2. 14




Harvard College Library.


**FROM THE
CONSTANTIUS FUND.**

Established by Professor E. A. SOPHOCLES of Harvard University for "the purchase of Greek and Latin books, (the ancient classics) or of arabic books, or of books illustrating or explaining such Greek, Latin, or Arabic books." Will, dated 1880.)

Received 26 July, 1895.







DE AVGVSTO
PLINII GEOGRAPHICORVM
AVCTORE

DISSERTATIO HISTORICA QVAM AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA
HONORES RITE IMPETRANDOS AMPLISSIMO IN VNIVERSITATE
FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA PHILOSOPHORVM
ORDINI TRADITAM VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIIS
DIE XXIII MENSIS IVNII ANNI MDCCCLXXXVIII HORA XII
PVBLICE DEFENDET SCRIPTOR

OTTO CVNTZ
SEDINENSIS

ADVERSARIJ ERVNT

AVGVSTVS BRINKMANN
ERICVS LIPPELT
ERICVS PERNICE

BONNAE

TYPIS CAROLI GEORGI VNIV. TYPOGR.

MDCCCLXXXVIII

Sp 27.224



Constantius fund


315

FRANCISCO BVECHELER

HENRICO NISSEN

HERMANNO VSENER

Lp. 27.224




Constantius fund

515

FRANCISCO BVECHELER

HENRICO NISSEN

HERMANNO VSENER



Inter auctores a Plinio in naturalis historiae libris geographicis componendis adhibitos haud ultimum locum obtinet Augustus. Ex quo quae Plinius traxerit diserte examinavit Detlefsenus¹, sed ita ut Hispaniae finibus commentationem suam circumscriberet, de cetero viam solum capiendam monstraret. Reliquit etiam illud accuratius disquirendum, cuinam rei liber ille Augusti originem suam debuerit et quo tempore scriptus sit. Quod enucleandum mihi proposui.

Omnis de Augusto Plinii auctore quaestio incipienda est a loco n. h. III 46 *nunc ambitum eius (sc. Italiae) urbesque enumerabimus, qua in re praefari necessarium est auctorem nos divum Augustum secuturos, discriptionemque ab eo factam Italiae totius in regiones XI, sed ordine eo qui litorum tractu fiet², urbium quidem vicinitates oratione utique praepropera servari non posse, itaque interiore exin parte digestionem in litteras eiusdem nos secuturos, coloniarum mentione signata quas ille in eo prodidit numero.* Ex quo intellegimus Plinium Italiam depingentem inspexisse librum quendam Augusti in quo

1. regiones undecim singulatim depingebantur,
2. omnium uniuscuiusque regionis urbium laterculi litterarum ordine dispositi exhibebantur,
3. coloniae a ceteris oppidis distinguebantur³.

Quod confirmatur Plinii Italiae descriptione, qui accurate disiungit regiones, in mediterraneo plurimarum laterculos exhibet in litteras digestos⁴, colonias multas commemorat, procul a mari sitas et ipsas pleurumque alphabetice compositas⁵. Discimus praeterea civitates Italicas apud Augustum non urbis, sed habitantium nomine, quod Graeci dicunt ethnicum, fuisse nominatas. Quam laterculorum formam Plinius saepe

¹ *Commentationes philol. in honorem Th. Mommseni.* 1877. p. 23—34.

² Ita interpungo secutus Bormannum (*Bemerkungen zum schriftlichen Nachlasse des Kaisers Augustus.* Progr. Marburg. 1884).

³ cf. Detlefsenum l. l. p. 32.

⁴ n. h. III 52. 63. 64. 98. 105. 106. 107. 111. 113. 114. 116. 130.

⁵ n. h. III 51. 104. 113. 115.

quidem commutavit oppidorum nomina pro ethnicis supponens, sed plerumque hoc labore supersedit genuinasque formas servavit¹.

Quo fundamento usi si circumspicimus, num in provinciis etiam depingendis Plinius Augustum adhibuerit, facile intellegemus id factum esse in descriptionibus Hispaniarum Galliae Narbonensis Illyrici Siciliae Africae. In quibus, ut in Italia, laterculi alphabetici occurrunt nominum ethnici forma scriptorum. Deinde, ut in Italia coloniae a ceteris oppidis discernuntur, ita in his provinciis varia civitatum genera, quae iuris privilegiorumque diversitate efficiuntur, accurate videmus distincta. Quas provincias maiorem imperii occidentalis partem complectentes tractabo. Non tractabo Pannoniam Achaïam Syriam Ciliciam Lyciam Asiam Galatiam. Nam qui in iis laterculi oppidorum extant alphabetici² primum multo sunt breviores ceteris, deinde deest accurata iuris uniuscuiusque civitatis mentio, tertium Plinius in oriente multo saepius quam in occidente sui aut Claudiani temporis utitur fontibus. Accedit quod provinciae illae priore loco nominatae satis magnam praebent materiam, qua congesta de Augusti libro iudicare possimus. Quare orientales provincias sepono, sperans mihi haud ita longo temporis intervallo occasionem futuram, quae de earum laterculis iudico, in lucem proferendi.

Iam, ut commentationis explicem dispositionem, initium me facturum dico ab Hispania, deinde Galliam Narbonensem Italiam Illyricum Siciliam Africam tractaturum. Deinde, ubi id quod magna cum probabilitate conieci, fluxisse omnes illos laterculos ex Augusto, praecipue temporis quo compositi sunt accurata definitione comprobavero, finem faciam explicando quomodo eos ortos esse putandum sit.

I. Hispania.

De Hispaniae Plinii descriptione quoniam Detlefsenus egregie disseruit³, brevis esse possum.

¹ De ratione Plinii scribendi Augustique librum cum ceteris fontibus contextendi cf. Bormannum l. l. p. 33—40.

² n. h. III 148. IV 22. V 81. 82. 93. 101. 145. 147.

³ l. l., *Die geographie der provinz Baetica bei Plinius*. Philol. XXX p. 265—310, *Die geographie der tarraconensischen provinz bei Plinius*. Philol. XXXII p. 600—668, *Die geographie der provinz Lusitanien bei Plinius*. Philol. XXXVI p. 111—128.

Duae apud Plinium partes seiungendae sunt: altera continet laterculos civitatum in litteras digestos et iuris norma dispositos, in quibus singula nomina ethnici plerumque forma scripta sunt, altera est geographica complectens praecipue periplum orae maritimae fluminumque cursus. Illa ex Augusto, haec aliis ex fontibus est hausta. Sed ex Augusto videntur etiam esse sumpta quae in descriptione geographica de oppidorum iure Plinius dicit, quamquam hic etiam aliunde derivata excepta esse possunt. Augusto tribuendae sunt etiam summae civitatum haud dubie ex indicibus illis ductae, quas Plinius provinciarum descriptionibus anteponit.

Iam quae ex Augusto exscripsisse videtur Plinius componam, uncis adhibitis ad aliunde sumpta aut a Plinio addita, siquidem id fieri potuit, excludenda. In constituendis lectionibus Detlefsenum et Hübnerum¹ secutus sum.

Baetica.

III 7: „Iuridici conventus ei IV, Gaditanus, Cordubensis, Astigitanus, Hispalensis. oppida omnia numero CLXXV, in iis coloniae VIII, municipia c. R. X, Latio antiquitus donata XXVII, libertate VI, foedere III, stipendiaria CXX. 12: Huius conventus² sunt reliquae coloniae immunes Tucci quae cognominatur Augusta Gemella, Ituci quae Virtus Iulia³, Ucubi quae Claritas Iulia, Urso quae Genua Urbanorum (inter quae fuit Munda cum Pompeio filio rapta)⁴, oppida libera Astigi Vetus, Ostippo. stipendiaria Callet, Callicula, Castra Gemina, Ilipula Minor, Marucca, Sacrana⁵, Obulcula, Oningi, Sabora, Ventipo.

15: Gaditani conventus civium Romanorum Regina. Latinatorum Laepiarelia⁶, Carisa cognomine Aurelia, Urgia cogno-

¹ CIL II. ² sc. Astigitani.

³ Ordo alphabeticus hic a Plinio opinor ipso est perturbatus Tucci ante Itucim posita.

⁴ Uncis inclusi Mundam propter verba *fuit et cum Pompeio filio rapta*, quibus eam apud Augustum non exstisse intellegimus. Detlefsenus quidem eam coloniis adnumerat (Philol. XXX p. 270 sq.), sed eo commotus quod Hübnerus ei Asidonem municipium, non coloniam fuisse comprobaverat, neque quomodo Munda omnia VIII numerum expleret videbat. Sed municipes Asidonis tituli n. 1315, quo nititur Hübnerus, etiam coloniae conveniunt. Cf. Mommsenum IRN. p. 479.

⁵ ⁶ Ordo alphab. corruptelis est perturbatus.

minata Castrum Iulium item Caesaris Salutariensis. stipendiaria Besaro, Belippo, Barbesula, Blacippo, Callet, Cappa (cum oleastro)¹, Iptuci, Iobrona, Lascuta, Saguntia, Saudo, Usaepo.“
Accedunt alii laterculi, quibus deest iuris mentio:

10: „(Celeberrima inter hunc² et oceani oram in mediterraneo) Segida quae Augurina cognominatur, Ulia quae Fidentia, Urgao quae Alba. Eborae quae Cerialis, Iliberri quod Florentini, Ilipula quae Laus, Artigi quod Iulienses, Vesci quod Faventia. Singilia. Ategua, Arialdunum, Agla Minor, Baebro, Castra Vinaria, Cisimbrum, Hippo Nova, Ilurco, Osca, Oscua, Succaelo, Unditanum, Tucci Vetus (omnia Bastetaniae vergentis ad mare)³.

13: Hispalensis conventus . . . 14: (praeter haec in Celtica) Acinipo, Arunda, Arunci, Turobriga⁴, Lastigi, Salpesa, Saepone, Serippo. (altera Baeturia, quam diximus Turdulorum et) conventus Cordubensis, (habet oppida non ignobilia) Arsam, Mellariam, Mirobrigam, Regina, Sosintigi, Sisaponem.“

Verisimile est ex Augusto esse hausta ea quae de civitatum iure Plinius dicit in periplo:

8: „Malaca (cum fluvio) foederatorum. IV 119: oppidum civium Romanorum qui appellantur Augustani urbe Iulia Gaditana.“

in descriptionibus fluviorum:

III 10: „Conventus vero Cordubensis . . . Epora foederatorum . . . Corduba colonia Patricia cognomine. 11: oppida Hispalensis conventus . . . Hispal colonia cognomine Romulensis. . . . coloniae Hasta quae Regia dicitur (et in mediterraneo) Asido quae Caesarina. 12: Astigitanam coloniam (adluit)⁵ cognomine Augustam Firmam.“

Possunt etiam alia ex Augusto esse excerpta, sed haec omitenda putavi.

¹ Recte ita scribere mihi videtur Detlefsenus (Philol. XXX p. 308).

² sc. Baetim.

³ In qua urbium serie quattuor laterculos alphab. cognoscendos esse Detlefsenus suo iure existimat (l. I. p. 271. 72. 76). Primum municipiorum (Segida-Urgao), alterum Latinorum (Eborae-Vesci), ubi dubitans *Sartigi* pro *Artigi* legere volt, tertium liberorum (Singilia), quartum stipendiariorum (Ategua-Tucci), in quo *Unditanum* nomen corruptum est.

⁴ Quod ordinis alphab. causa in *Arabriga* mutandum esse conicit Detlefsenus (l. I. p. 303). ⁵ sc. Singilis.

Tarraconensis.

III 18: „(nunc) universa provincia dividitur in conventus septem Carthaginiensem, Tarraconensem, Caesar-Augustanum, Cluniensem, Asturum, Lucensem, Bracarum. accedunt insulae, quarum mentione seposita civitates provincia ipsa, praeter contributas aliis, CCXCIII continet, oppida CLXXVIII, in is colonias XII, oppida civium Romanorum XIII, Latinorum veterum XVIII, foederatorum unum, stipendiaria CXXXV. 23: Tarracone disceptant populi XLII, (quorum celeberrimi) civium Romanorum Dertosani, Bisgargitani¹. Latinorum Ausetani, Ceretani qui Iuliani cognominantur et qui Augustani, Edetani, Gerundenses, Iessonienses, Teari qui Iulenses. stipendiariorum Aquicaldenses, Aesonenses, Baeculonenses.

24: CaesarAugusta colonia immunis (amne Hiberno adfusa ubi oppidum antea vocabatur Salduba, regionis Sedetaniae.) recipit populos LV. ex his civium Romanorum Bilbilitanos, Celsenses ex colonia; Calagurritanos qui Nasici cognominantur, Ilerdenses (Surdaonum gentis, iuxta quos Sicoris fluvius), Oscenses (regionis Vessetaniae), Turiasonenses. Latinorum veterum Cascantenses, Ergavicenses, Graccurritanos, Leonicensenses, Ossigerdenses. foederatos Tarracenses. stipendiarios Arcobrigenses, Andelonenses, Aracelitanos, Bursaonenses, Calagurritanos qui Fibularenenses cognominantur, Complutenses, Carenses, Cincienses, Cortonenses, Damanitanos, Hispallenses, Ilursenses, Iluberitanos, Lacetanos, Libienses, Pompelonenses, Segienses.

25: Carthaginem conveniunt populi LXV exceptis insularum incolis. ex colonia Accitana Gemellense et Libisana cognomine ForoAugustana, quibus duabus ius Italiae datum. ex colonia Salariense. oppidani Lati veteris Castulonenses qui Caesaris Venales appellantur, Saetabitani qui Augustani, Valerienses. stipendiariorum (autem celeberrimi) Alabenses, Bastitani, Consaburrenses, Dianenses, Egelestani, Ilorcitani, Laminiani, Montesani qui et Oretani, Montesani qui et Bastuli, Oretani qui et Germani cognominantur, (caputque Celtiberiae)

¹ Ordo alphab. a Plinio ipso videtur esse inversus, quod laterculi huius brevitate facillime explicatur.

fortasse post a. a. C. 15. quod legimus apud Dionem (54, 23) τότε δὲ πόλεις ἐν τε τῇ Γαλατίᾳ καὶ ἐν τῇ Ἰβηρίᾳ συχνὰς ἀπέκτισε, nam coloniarum, quae apud Plinium reperiuntur, nonnullae hoc anno possunt esse deductae. Quamquam hoc certum non est.

Scriptus est liber: ante Vespasiani tempora, qui, ut testis est Plinius ipse (n. h. III 30), universae Hispaniae iactatum procellis reipublicae Latium tribuit, cum in laterculis his etiam foederatos liberos stipendiarios inveniamus;

ante Galbam, nam Clunia in indice nondum colonia nominatur (p. 10). Appellatur autem colonia apud Ptolemaeum (II 6, 56) et in titulo CIL II n. 2780, quam condicionem propter nomen SVL (i. e. Sulpicia) in nummis Galbae urbi additum¹ a Galba adepta esse videtur, cui in ea commoranti imperium delatum est². Quare verba *ubi nunc Flaviobrica colonia* (n. h. IV 110 cf. supra p. 10) ab ipso Plinio videntur addita, non ex indice sumpta. Sed artioribus etiam finibus restringere possumus laterculos.

In eis Dertosa appellatur municipium (p. 9). Quod nomen ei adscriptum videmus etiam in nummis et autonomis et Tiberii capite signatis³. Extant etiam nummi eius signati capite et Caesaris patris laureato et Augusti radiato et Tiberii laureato, in quibus dicitur colonia⁴. Ex quo suo iure colligit Hübnerus⁵, Dertosam municipium mansisse certe usque ad Tiberii adoptionem a. p. C. 4 factam et aliquanto post coloniae iure esse donatam. Quod Augusto etiam tum imperante factum esse putandum est propter nummum, in quo Caesaris patris caput cuseum est, nam Tiberio imperante nummi Caesaris capite non signati sunt.

Accedit alia res, qua quaestionem quantum ego scio accuratius non tractatam contineri video. Bilbilis in laterculis illis (p. 9) vocatur colonia, quod contra Hübneri coniecturam, qui Dertosam duodecimam Tarraconensis apud Plinium esse coloniam statuerat⁶, recte contendit Detlefsenus⁷. Cuius urbis extant nummi Augusti temporibus cusi, inscripti MV aut MVN. AVGVSTA. BILBILIS. Qui omnes propter inscriptionem *Augustus. divi. f. pater. patriae* post annum a. C. 2 signati sunt⁸. Municipium appellatur Bilbilis etiam in Tiberii et Caligulae num-

¹ Eckhel d. n. I p. 46.

² Suet. Galba 9. Plut. Galba 6.

³ Eckhel d. n. I p. 51.

⁴ Eckhel d. n. p. 47.

⁵ CIL II p. 535.

⁶ l. l.

⁷ Philol. XXXII p. 616.

⁸ Mionnet descr. des méd. ant. I p. 30 n. 217 sq. Suppl. I p. 56 n. 315. 319

mis¹. Statuendum igitur est eam a coloniae ad municipii ius transiisse. Quod cur fieri non potuerit non video. Multa sunt exempla, quibus civitatibus foederatis aut liberis privilegia sua erepta esse intellegimus. Civitatem etiam, cuius dandae Augustus erat parcissimus², iam concessam rursus demptam esse testatur Dio Cassius (54, 25). Denique constat Comum, quamquam a Caesare coloniae iure donatum, postea municipium fuisse³ Praenestinosque a Tiberio petiisse, ut urbs sua ex colonia municipium fieret⁴, quod factum esse demonstratur eorum titulis⁵. Quare nil obstat quominus putemus, Bilbilitanis — nescimus qua de causa — coloniae ius demptum, municipii datum esse. Indicis praeterea testimonium confirmare mihi videntur nummi in antica parte capite quodam virili aut capite Augusti et nomine *Bilbilis*, in postica nomine Italica signati⁶, quos primis imperii Augusti annis cusos putandum est. Nomen Italica urbi cum coloniae iure videtur esse datum et, cum municipium fieret, ademutum, nam in nummis Augusti post a. a. C. 2 cusis, in Tiberii, Caligulae non reperitur.

Quae cum ita sint, demonstravi laterculos Hispanicos post a. a. C. 19 (fortasse 15) et ante ultimos Augusti annos esse scriptos. Cui rei nihil obstat, nam praeter dubium illud Flaviobrica colonia peripli nihil in iis invenitur, quod tempus post Augustum significet. Quare iam Augustum ipsum eorum esse auctorem certum fit.

II. Gallia Narbonensis.

Eodem modo descripta est quo Italia et Hispania. Quare ex Augusto excerpta videntur haec:

III 36 Detl.: „(In mediterraneo) coloniae Arelate Sextanorum, Baeterrae Septimanorum, Arausio Secundanorum⁷, (in agro) Cavarum Valentia, Vienna Allobrogum. oppida Latina Aquae Sextiae Salluviorum, Avennio Cavarum, Apta Iulia Vulgentium, Alaebece Reiorum⁸ Apollinarium, Alba Helvorum, Augusta Tricastinorum, Anatalia, Aerea, Bormani, Comani, Cabellio, Carcasum Volcarum Tectosagum, Cessero, Carbantorate⁹ Meminorum, Caenicenses,

¹ Mionnet I p. 30 n. 219. 221. ² Suet. Aug. 40. Dio Cass. 56, 33.

³ CIL V p. 565. ⁴ Gellius 16, 13, 5. ⁵ CIL XIV p. 288.

⁶ Mionnet I p. 30 n. 214. Suppl. I p. 55 n. 309.

⁷ Baeterrae ante Arausionem a Plinio ipso fortasse sunt positae.

⁸ CIL XII p. 49. ⁹ CIL XII p. 147.

Cambolectri qui Atlantici cognominantur, Forum Voconi, 37: Glanum Livi, Lutebani qui et Foroneronienses, Nemausum Arecomicorum, Piscinae, Ruteni, Samnagenses, Tolosani Tectosagum (Aquitaniae contermini), Tasgoduni, Taruscononienses, Umbra-nici, Vocontiorum civitatis foederatae duo capita Vasio et Lucus Augusti, oppida vero ignobilia XVIII sicut XXIII Nemausensibus adtributa.“

Accedunt ex periplo haec:

32: „Ruscino Latinorum... Narbo Martius Decumanorum colonia. 34: Massilia (Graecorum Phocaeensium) foederata. 35: Forum Iuli Octavanorum colonia quae Pacensis appellatur et Classica... oppidum Latinum Antipolis.“

Quorum indicum auctorem esse Augustum, cum eorum forma iam probabile sit, tamen hic quoque tempus, quo conscripti sint, accuratius circumscribere temptantes demonstrabimus. Scripti sunt laterculi Narbonensis:

post a. a. C. 46, nam insunt Arelate et Narbo Decumanorum coloniae c. R. a Nerone, Tiberii patre deductae¹, Lutebani qui et Foroneronienses, qui ab eodem nomen suum traxerunt², aliae coloniae c. R.³ et latinae⁴, quas eo iure a Caesare patre donatas esse probabile est; post a. a. C. 27 propter Augustam Tricastinorum, Lucum Augusti, Viennam⁵; fortasse post a. a. C. 15 propter Dionis locum supra iam citatum

¹ Suet. Tib. 4. CIL XII p. 83. 521.

² Non ab imperatore Nerone, id quod Herzog (*Galliae Narbonensis provinciae Romanae historia* p. 123) conicit. Consentit mecum Desjardin: *Géographie historique et administrative de la Gaule Romaine* III p. 67.

³ Baeterrae CIL XII p. 511. Arausio l. l. p. 152. Valentia l. l. p. 207. n. 1748. Forum Iuli l. l. p. 38.

⁴ Aquae Sextiae l. l. p. 65. Avennio l. l. p. 130. Apta l. l. p. 137. Reii l. l. p. 49. Carbantorate l. l. p. 147. Nemausus l. l. p. 381. Antipolis l. l. p. 28.

⁵ Siquidem Mommsenus recte restituit in titulo CIL XII n. 2327 col. Iul. Aug. Flor. V(ienna). Cum Herzogio (l. l. p. 90 sq.) Viennam Latio a Caesare patre, civitate ab Augusto donatam esse existimo. Hirschfeldio quidem Mommsenum secuto Viennam non ante Gaium coloniam c. R. factam esse probabile videtur (CIL XII p. 218 sq.). Sed Plinium laterculum Augusti correxisse, quoniam eius rei in Hispania, Italia, Illyrico, Sicilia, Africa eodem modo quo Narbonensis descriptis nulla inveni exempla (praeter valde dubium illud Flavio-bricae in periplo (supra p. 10), mihi persuadere non possum. Porro quattuorviros praefuisse etiam coloniis c. R. Reiorum comprobatur exemplo (CIL XII p. 49). Orationis Claudii quidem locus obscurus (II v. 15 sq.) quomodo interpretandus sit adhuc nescio.

(54, 23) τότε δὲ πόλεις ἔν τε τῇ Γαλατίᾳ καὶ ἔν τῇ Ἰβηρίᾳ συχνὰς ἀπέκτισε, quibus verbis e Galliarum provinciarum numero Narbonensem solam significari Mommsenus eo argumento demonstravit¹, quod in monumento Ancyrano² sola appellatur inter provincias, in quas coloniae militum deductae sunt. Possunt inter colonias a Plinio nominatas esse eo anno deductae. Sed certum hoc non est.

Indices ante Galbam esse scriptos certum est ipsius Plinii verbis (III 37) *Adiecit formulae Galba imperator ex Imaipinis Avanticos atque Bodionticos, quorum oppidum Dinia*. Eos certe non post Tiberium esse compositos eo comprobatur quod Reii et Aquae Sextiae in iis appellantur oppida Latina, cum propter nomen Augustae in inscriptionibus iis inditum (CIL XII p. 49. 65) consentaneum sit eas principe etiam tum Augusto aut Tiberio³ colonias c. R. esse factas⁴.

III. Italia.

De verbis gravissimis, quae Italiae descriptioni praeponit Plinius (III 46), iam supra (p. 5 sq.) disputavi. Modum depingendi hoc loco expositum non omni ex parte sequitur scriptor. Nam, quamquam se in mediterraneo laterculos Augusti alphabeticos exhibiturum esse promittit, in regionibus nona et undecima aliis fontibus utitur. Fecit hoc certe, quia Italiam secundum fines geographicos, id est Varo et Alpium iugis, terminans Augusti regiones ad eos fines non applicari videbat⁵. Decimae quoque regionis item Alpium iugis subiectae pars mediterranea aliqua ex parte Augusto non tribuenda est⁶, sed hic etiam indicem reperimus alphabeticum⁷.

Iam Augustana excerptam:

III 63 Detl.: „Regio (ea a Tiberi) prima (Italiae servatur ex descriptione Augusti). (Intus) coloniae Capua (ab XL p. campo dicta), Aquinum, Suessa, Venafrum, Sora, Teanum Sidicinum cogno-

¹ Comm. ad. mon. Ancy. p. 65. ² 5, 35. ³ Infra p. 19 sqq.

⁴ Hirschfeldius conicit (CIL XII p. 833) Nemausum a. a. C. 16, quo *Imp. Caesar Augustus portas murosque coloniae dedit* (n. 3151) aut paulo antea civitate donatam esse, sed fatetur documentum ad hanc quaestionem decidendam idoneum nullum adhuc prodiisse.

⁵ CIL V p. 808. 903. XII p. XIII.

⁶ III 130 in mediterraneo — *Iulienses Carnorum*.

⁷ I. I. *Alutrenses* — *Vurvari*.

mine, Nola, oppida Abellinum, Aricia, Alba Longa, Acerrani, Allifani, Atinates, Aletrinales, Anagnini, Atellani, Afilani¹, Arpinates, Auximates, Abellani, Alfaterni et qui ex agro Latino item Hernico item Labicano cognominantur, Bovillae, Calatiae, Casinum, Calenum, Capitulum Hernicum, Cereatini qui Mariani cognominantur, Corani (Dardano Troiano orti), Cubulterini, Castrimoenienses², Cingulani, Cabenses³ in monte Albano, Foropopilienses⁴ ex Falerno, Frusinates, Ferentinates, Freginates, Fabraterni Veteres, Fabraterni Novi, Ficolenses, Fregellani, Forum Appi, Forentani, Gabini, Interamnates Sucasini qui et Lirrenates vocantur, Ilionenses, Lanivini, Norbani, Nomentani, Praenestini (urbe quondam Stephane dicta), Privernates, Setini, Signini, Suessulani, Telesini, Trebulani cognomine Ballienses, Trebani, Tusculani, Verulani, Veliterni, Ulubrenses, Urbanates.“

Ex periplo:

56: „Ostia colonia (a Romano rege deducta). 57: Antium colonia. 59: colonia Minturnae . . . Glanica appellata. 61: Puteoli colonia.“

99: „secunda regio. 104: Dauniorum (praeter supra dicta) coloniae Luceria, Venusia. 105: (Cetera intus) in secunda regione Hirpinorum colonia una Beneventum (auspicatius mutato nomine quae quondam appellata Maleventum), Ausculani, Aquiloni, Abellinates cognomine Protropi, Compsani, Caudini, Ligures qui cognominantur Corneliani et qui Baebiani, Vescellani. Aeclani, Aletrini, Abellinates cognominati Marsi, Atrani, Aecani, Alfellani, Atinates, Arpani, Borcani, Collatini, Corinenses, (et nobiles clade Romana) Cannenses, Dirini, Forentani, Genusini, Herdonienses, Irini, Larinales cognomine Frentani, Metinates⁵ ex Gargano, Mateolani, Neretini, Natini, Rubustini, Silvini, Strappellini, Turnantini, Vibinates, Venusini, Ulurtini. Calabrorum (mediterranei) Aegitini, Apamestini, Argetini, Butuntinenses, Deciani, Grumbestini, Norbanenses, Palionenses, Stulnini, Tutini. Sallentinorum Aletini, Basterbini, Neretini, Uzentini, Veretini.“

71: „regio tertia. 98: (mediterranei) Bruttiorum Aprustani (tantum), Lucanorum (autem) Atinates, Bantini, Eburini, Grumen-

¹ CIL XIV n. 3442.

² CIL XIV p. 239.

³ CIL XIV n. 2228. Mommsen bull. dell' Inst. 1861 p. 206.

⁴ CIL X p. 460.

⁵ CIL IX p. 66.

tini, Potentini, Sontini, Sirini, Tergilani, Ursentini, Volcentani, quibus Numestrani iunguntur.“

106: „regio quarta... Frentanorum... Anxani cognomine Fren-tani, Caretini Supernates et Infernates, Lanuenses. Marrucinorum Teatini. Paelignorum Corfinienses, Superaequani, Sulmonenses. Marsorum Anxatini, Antinates, Fucentes, Lucenses, Marruvini. Albensium Alba ad Fucinum lacum. Aequiculanoꝝ Cliternini, Carseolani. 107: Vestinorum Angulani, Pennenses, Peltuinates, quibus iunguntur Aufinates Cismontani. Samnitium (quos Sa-bellos et Graeci Saunitas dixere) coloniae¹ Bovianum Vetus et alterum cognomine Undecumanorum. Aufidenates, Aesernini, Fagifulani, Ficolenses, Saepinates, Tereventinates. Sabinorum Amiternini, Curenses, Forum Deci, Forum Novum, Fidenates, Interamnates, Nursini, Nomentani, Reatini, Trebulani qui cogno-minantur Mutuesci et qui Suffenates, Tiburtes, Tarinates.“

110: „quinta regio. 111: (intus) Auximates, Beregrani, Cingulani, Cuprenses cognomine Montani, Falerienses², Pausulani, Plani-nenses, Ricinenses, Septempedani, Tolentinates³, Treienses, Ur-besalvia Pollentini.“

Ex periplo:

110: „Hadria colonia. 111: Firmanorum... colonia Ascu-lum⁴... colonia Ancona.“

112: „sexta regio. 113: (et intus)⁵ Hispellum, Tuder. (de cetero) Amerini, Attidiates, Asisinales, Arnates, Aesinales, Camertes, Casuentillani, Carsulani, Dolates cognomine Sallentini, Fulginiates, Foroflamienses, Foroiulienses cognomine Concupienses, Forobrentani, Forosempronenses, Iguini, Interamnates cogno-mine Nartes, Mevanates, Mevanionenses, Matilicates, Narnienses (quod oppidum Nequinum antea vocitatum est), Nucerini cognomine Favonienses et Camellani, Ocriculani, Ostrani, Pitulani cogno-mine Pisuertes et alii Mergentini, Plestini, Sentinales, Sassinales, Spoletini, Suasani, Sestinales, Suillates, Tadinates, Trebiate, Tuficani, Tifernates cognomine Tiberini et alii Metaurenses et alii Hortenses, Vettonenses, Vindinates, Visuentani.“

Ex periplo:

¹ Ita lego secutus Mommsenium (Hermae vol. XVIII p. 191).

² CIL IX p. 517.

³ CIL IX p. 530.

⁴ Colonia verbum et ad Firmanorum et ad Asculum trahendum videtur.

⁵ Sc. coloniae.

113: „coloniae Fanum Fortunae, Pisaurum.“

50: „septima¹. 51: (intus) coloniae Falisca (Argis orta, ut auctor est Cato), quae cognominatur Etruscorum, Lucus Feroniae, Russellana, Saeniensis, Sutrina. (de cetero) Arretini Veteres, Arretini Fidentiores, Arretini Iulienses, Amitinenses, Aquenses cognomine Taurini, Blerani, Cortonenses, Capenates, Clusini Novi, Clusini Veteres, Florentini (praeflueri Arno adpositi), Faesulae, Ferentium², Fescennia, Hortanum³, Herbanum, Nepet, Novem Pagi, Praefectura Claudia Foro Clodi, Pistorium, Perusia, Suanenses, Saturnini (qui antea Aurini vocabantur), Subertani, Statonenses, Tarquinienses, Tuscanienses, Vetulonienses, Veientani, Visentini⁴, Volaterrani, Volcentani cognomine Etrusci, Volsinienses.“

Ex periplo:

50: „colonia Luca . . . Pisae.“

115: „octava regio . . . (intus) coloniae Bononia (Felsina vocitatum cum princeps Etruriae esset), Brixellum, Mutina, Parma, Placentia. 116: oppida Caesena; Claterna, Foro Clodi, Livi, Popili, Druentinorum⁵, Corneli, Licini, Faventini, Fidentini, Otesini, Padinates, Regienses a Lepido, Solonates, Saltusque Galliani qui cognominantur Aquinates, Tannetani, Veleiates cognomine veteri Regiates, Urbanates.“

Ex periplo:

115: „Ariminum colonia.“

49: „Dertona colonia . . . haec regio ex discriptione Augusti nona est.“

126: „decima regio. 130: (in mediterraneo) regionis decimae coloniae Cremona, Brixia (Cenomanorum agro), (Venetorum autem) Ateste . . . (dein, quos scrupulosius dicere non attineat) Alutrenses, Asseriates, Flamonienses Vanienses et alii cognomine Curici, Foroiulienses cognomine Transpadani, Foretani, Neditates, Quarqueni, Tarvisani, Togienses, Varvari.“

Ex periplo:

126: „colonia Concordia . . . Aquileia colonia. 127: colonia Tergeste. 129: colonia Pola quae nunc Pietas Iulia.“

128: „regio undecima . . . coloniae . . . Augusta Taurinorum . . . Salassorum Augusta Praetoria.“

¹ Sc. regio.

² CIL XI p. 454.

³ Rectum oppidi nomen est Horta (CIL XI p. 463), falsum pro ethnico substituisse videtur Plinius.

⁴ CIL XI p. 444.

⁵ CIL XI p. 112.

De quibus laterculis haec dicenda sunt. Inserui iis colonias mediterraneas non secundum litteras ordinatas (III 63. 130), quia, quamquam earum dispositio non Augustana videtur esse, nomen coloniae eis additum ex Augusto sumptum esse Plinii testimonio (III 46) comprobatur. Adscripsi eis etiam, nullo dubitationis signo adposito, colonias maritimas. Nam primum quidem verba Plinii (l. l.) *coloniarum mentione signata quas ille in eo prodidit numero* ad totius Italiae colonias, non ad mediterraneas solum, pertinere videntur. Deinde etiam in litoris coloniis enumerandis Plinium Augusti librum inspexisse eo comprobatur quod saepius eandem, quam in mediterraneo, reperimus coloniarum et oppidorum accuratam distinctionem, ut in paragraphis 50. 56. 59. 61. 111. 126. 129. Deinde in § 113 coloniarum maritimarum et mediterraneorum laterculi tam arte conexi sunt, ut unde hic etiam ille desumptus videatur. Porro illas colonias in ora sitas, quae sunt sedecim numero, ut mediterraneas fere omnes aut triumvirorum aut Augusti esse aliunde constat. Qua de re infra copiosius erit dicendum. Inserui indicibus etiam colonias nonae atque undecimae regionis, quamquam in iis describendis Plinius, ut supra exposui, a proposito suo abscessit, nam in his tribus coloniis nominandis eum alium adhibuisse fontem non probabile est. Deinde etiam hae coloniae triumvirales sunt aut Augustae. Apposui denique laterculis Ostiam, quam eiciendam esse apparebit.

Omissi Tarentum, quam, quod Plinius adicit (III 99) *contributa eo maritima colonia, quae ibi fuerat*, in Augusti indice coloniam non fuisse constat, Cosam Volcentium (III 51 *a populo Romano deducta*) verbo colonia non signatam, Eorediam (III 123 *oppidum Eoredia Sibylinis a populo Romano conditum iussis*) oppidum appellatam.

Nunc, antequam ad coloniarum laterculos accedamus, praemittendus est:

De coloniis Tiberianis excursus.

Novimus colonias plurimas ab Augusto, multas a Claudio, paucas a Nerone, nonnullas a Vespasiano deductas. De Tiberii Caligulaeque coloniis silent annales. Atque Caligulam colonias deduxisse, quamquam res incerta est, ne ego quidem affirmare volo, nam vix putaverim eum huiusmodi negotiis vacasse. Vacasse Tiberium certis, ut mihi videtur, comprobatur argumentis. Fieri posse, ut coloniae Iuliae aut Iuliae

Augustae etiam a Tiberio aut Caligula originem traxerint, Mommsenus concedit¹, tamen eas omnes Augusto tribuere solet.

Dicit ipse Augustus (mon. Anc. c. 28) *Colonias in Africa Sicilia [M]acedonia utraque Hispania Achai[a] Asia S[y]ria Gallia Narbonensi Pi[si]dia militum deduxi. Italia autem XXVIII² [colo]nias, quae vivo me celeberrimae et frequentissimae fuerunt, me[is auspicijs] deductas habet.*

In quarum provinciarum numero Mommsenus (comm. ad mon. Anc. p. 121 sq.) desiderat Illyricum, in quo plures colonias ab Augusto conditas esse constat. Quare, quamquam id quoque difficultatem facere fatetur, quo tempore coloniae illae deductae sunt Illyricum Italiae finibus putat comprehensum fuisse. Sed rectissime illis provinciis non adscriptum est Illyricum. Deduxit enim, ut indice Pliniano demonstratur, Augustus multo plures colonias in Italia quam XXVIII, unde sequitur eum illo rerum suarum gestarum loco significare colonias a se solo post pugnam Actiacam deductas, i. e. praecipue Augustas, provinciasque, in quibus coloniae erant Augustae. Nullam autem in Illyrico novimus coloniam Augustam. Salonae fuere colonia Iulia³; de Iadro⁴ atque Narona⁵ id solum constat, esse eas ab Augusto deductas, sed quo tempore id factum sit ignoramus; Epidaurum a Plinio solo appellatur colonia⁶. Omnes igitur ante a. a. C. 31 possunt esse deductae. Quare Mommseni coniectura non probanda est.

Sed sunt etiam provinciae cum coloniis Iuliis Augustis, quae inter illas ab Augusto appellatas non inveniuntur: Sardinia et Bithynia. In Sardinia est colonia Iulia Augusta Usellis⁷. Quod ut congruat cum mon. Ancyrano non quomodo vult Mommsenus⁸ explicari potest, ut Usellim ab Augusto municipii, ab alio aliquo imperatore coloniae iure donatam esse statuamus. Nam deest nomen ab imperatore hoc nescio quo inditum, id quod, quamquam in brevioribus inscriptionibus et minore cum diligentia incisis haud raro occurrit nomen Augusta aut Claudia omissum, in titulo hoc bona aetate⁹ sollemniter concepto fieri non potuit. Iam accedunt coloniae duae Iuliae Augustae Bithyniae. Ac primum Apamenses nummis suis plerumque quidem nomina incidunt c(olonia) I(ulia) C(oncordia) A(pamea) a Caesare patre accepta¹⁰, sed eorum urbi nomen etiam fuisse Augustae e Severianae aetatis nummis intellegitur¹¹.

¹ *Die italischen Bürgercolonien von Sulla bis Vespasian.* Hermae vol. XVIII p. 184. ² Constat numerus versione graeca. ³ CIL III n. 1933.

⁴ l. l. n. 2907.

⁵ l. l. n. 1769.

⁶ n. h. III 144.

⁷ CIL X n. 7845.

⁸ CIL X p. 810.

⁹ a. p. C. 158.

¹⁰ Mionnet II p. 412 n. 22 sqq.

¹¹ l. l. II p. 413 n. 28.

Idem invenimus in Sinopes nummis, qui inde ab Augusto usque ad Hadrianum signantur nominibus c(olonia) I(ulia) F(elix) S(inope)¹, L. Aelii autem et Faustinae iunioris temporibus inscribuntur c(olonia) I(ulia) A(ugusta) F(elix) Sin(ope)², cum in subsequenti temporis nummis nomen Augusta denuo omittatur atque etiam in titulo M. Aurelio posito³.

Quare, quoniam et Sardinia et Bithynia ab Augusto (l. l.) non nominantur, facere non possumus quin Usellim, Apameam, Sinopen a Tiberio colonias deductas esse putemus, habemusque iam coloniarum Tiberianarum exempla. Cui rei praeter auctorum silentium talia perquirentibus haud magni faciendum nil obstat.

Sed redeamus ad Augusti indices. In iis coloniae appellantur: 1. Capua 2. Aquinum 3. Suessa 4. Venafrum 5. Sora 6. Teanum Sidicinum 7. Nola (8. Ostia) 9. Antium 10. Minturnae 11. Puteoli 12. Luceria 13. Venusia 14. Beneventum. 15. Bovianum Vetus 16. Bovianum Undecumanorum 17. Hadria 18. Firmum 19. Asculum 20. Ancona 21. Hispellum 22. Tuder 23. Fanum Fortunae 24. Pissaurum 25. Falerij Etruscorum 26. Lucus Feroniae 27. Rusellae 28. Saena 29. Sutrium 30. Luca 31. Pisae 32. Bononia 33. Brixellum 34. Mutina 35. Parma 36. Placentia 37. Ariminum 38. Dertona 39. Cremona 40. Brixia 41. Ateste 42. Concordia 43. Aquileia 44. Tergeste 45. Pola 46. Augusta Taurinorum 47. Augusta Praetoria Salassorum.

Quas perlustrantes cognoscimus colonias liberae reipublicae⁴, ut certe iterum ab Augusto deductas omittamus, deesse omnes praeter Antium Mutinam Ostiam, quas, quoniam certam in enumerando regulam Augustum secutum esse probabile est, ipsas quoque iterum ab eo deductas esse putabimus. Sed eximo Ostiam. Nam deductionis Augustae cum in maxima titulorum Ostianorum copia (CIL XIV) nulla sint vestigia, eam apud Augustum coloniam omnino non nominatam fuisse existimandum est. Apposuit Plinius hoc nomen alium auctorem secutus, id quod verbis adiectis a *Romano rege deducta* (§ 56) probabile fit.

Abesse videntur etiam coloniae a Caesare patre deductae. Capua quidem ab Octaviano iterum deducta est⁵. Deest Casilinum, sed iam ab Octa-

¹ Mionnet l. l. p. 403 n. 100 sqq.
p. 579 n. 157.

³ CIL III n. 239.

² l. l. p. 405 n. 112. Suppl. IV

⁴ Quibus adnumero etiam Grumentum (CIL X p. 27), Paestum (l. l. p. 52 cf. Mommsen in Hermae vol. XVIII p. 27), Abellam (CIL X p. 136, Mommsen l. l. p. 164).

⁵ CIL X p. 368.

viano Capuae adtributa esse videtur, quia Plinius in civitatum indice eam omnino omittit et in § 70 commemorat morientes Casilini reliquias¹. Deest Comum, sed fortasse Augusti iam tempore municipium factum est². Desunt Castrum Novum et Parentium, quae coloniae Iuliae appellantur in titulis³. Sed potest etiam cogitari in iis post verbum Iuliae excidisse Augustae, quod non raro occurrit⁴, ut utraque colonia post indicem Augusti confectum ultimis Augusti annis aut Tiberio regnante deducta esse possit. Idem pertineret ad Cumas, si tituli CIL X n. 3703⁵ litterae C. I. recte essent suppletæ, sed lectioni c(oloniae) I(uliae) primum obstat nomen urbis omissum deinde verbum colonia bis positum. Sed certum inde efficitur quod Calatia a Caesare deducta⁶ ab Augusto inter oppida relata est (§ 63). Ex quo consequitur etiam colonias Caesaris patris in coloniarum indicibus esse omissas.

Neque reperiuntur in laterculis Plinianis coloniae post Augusti mortem deductae, ut Misenum⁷ et Iulium Carnicum⁸ fortasse a Claudio deductae. Nam Teanum appellatur quidem in inscriptionibus duabus⁹ col(onia) Cl(audia) Firma Teanum, sed puto in brevissimis his titulis omissum esse verbum Augustae aut Iuliae¹⁰, et Bovianum Undecumanorum accepit quidem Vespasiani tempore veteranos, id quod innuit Hyginus¹¹ et confirmatur titulo centurionis legionis XI Claudiae¹², sed nil obstat quominus iam ab Augusto eiusdem legionis veteranos Bovianum deductos esse existimemus¹³. Extant nullae apud Augustum coloniae nisi quas ipse deduxit.

Iam nonnulla reicienda sunt, quae eius indicibus coloniarum obici possunt. Potest in iis desiderari primum Florentia, quam certe a. p. C. 15 coloniam fuisse inscriptione CIL XI n. 1617 et Taciti loco ann. I 79

¹ cf. CIL X p. 369. ² CIL V p. 565.

³ CIL XI n. 3576—78. V n. 335.

⁴ cf. e. c. CIL III n. 1455. 1458. 1459. 1465. 1503. 4243. IV n. 2152. VIII n. 8465. X n. 3867. 4875 et nummos Apameae et Sinopes, de quibus supra (p. 20 sq.) dixi. Omittitur nomen *Iulia* CIL XI n. 408. 414, *Traiana* CIL III n. 753, *Felix* VIII n. 805. 1494. 1497, *Martialis* n. 10365.

⁵ Sextiae. L. f. Kam | monumentum . publice | factum . d. d. c. i | quod . ea . munifica . erga | coloniam . fuit. ⁶ CIL X p. 369. ⁷ CIL X p. 317.

⁸ CIL V p. 172 n. 1838. 1842.

⁹ CIL X n. 4781. 4799.

¹⁰ cf. exempla supra allata.

¹¹ p. 131 Lachm.

¹² CIL IX n. 2564.

¹³ Vespasiani temporibus Bovianum coloniam factam esse dicit Mommsenus (Hermae vol. XVIII p. 193 sq.) eo quoque argumento utens quod nomen coloniae a legione derivatum sub primis imperatoribus sit inauditum. Quod parum certum est.

comprobatur¹). Quod argumentum adeo non laterculorum fidem imminuit ut potius ansam praebeat, quando indices Italici conscripti sint accuratius definiendo. Scripti igitur videntur ante ultimos Augusti annos, quod infra certum reddemus, quo loco de Faleriis Etruscorum agemus. Deest coloniarum laterculis deinde Abellinum, quod appellatur in titulo CIL X n. 1117 a. p. C. 240 col(onia) Ven(eria) Livia² Aug(usta) Alexandrian(a) Abellinatium, sed potest ultimis Augusti annis aut Tiberio principe esse deducta, deinde Nuceria, quam Appianus (b. c. 4, 3) nominat inter urbes a triumviris ad deducendas colonias designatas, sed scribo cum Belochio³ Λουκερία, quod, cum Appianus forma Νουκερία et Nuceriam et Luceriam significet⁴, iam non est coniectura. Libri autem coloniarum verba (Lachm. p. 235) *Nuceria Constantia muro ducta colonia: deducta iussu imp. Augusti* cet., ut reliqua eius de coloniarum conditoribus testimonia, nullius sunt ponderis⁵. Possunt desiderari etiam Allifae, quam in urbem a triumviris coloniam deductam esse putat Mommsenus⁶, sed huius rei testimonium habemus nullum nisi levissimum libri coloniarum (p. 231). Deesse videtur denique Falerio. Extant enim Domitiani ad quattuorviros et decuriones Faleriensium litterae, quibus finitur lis inter hos atque Firmanos de subsicivis⁷. In quibus est: *et vetustas litis, quae post lot annos retractatur a Firmanis adversus Falerienses, vehementer me movet, cum possessorum securitati vel minus multi anni sufficere possint, et divi Augusti, diligentissimi et indulgentissimi erga quartanos suos principis, epistula, qua admonuit eos, ut omnia suspiciva sua colligerent et venderent, quos tam salubri admonitioni paruisse non dubito; propter quae possessorum ius confirmo. Quae Mommsenus in commentario inscriptioni addito, Siculi Flacci quaedam verba⁸ secutus, ita interpretatur: coloni videntur deducti esse primum Firmum a triumviris⁹, deinde Falerionem ab Augusto opinor post pugnam Actiacam, ut in secunda hac adsignatione, sic ut saepe factum est (Rudorff inst. grom. p. 402), territorii Firmani pars quaedam comprehenderetur. Iam . . . ex hac parte quidquid in adsignationem non venit cum Firmanorum maneret, propterea Firmani Falerionensibus de subsicivis litem movebant. Sed tuebantur se*

¹ CIL XI p. 306.

² Exemplaria habent etiam *Lenia*.

³ *Der italische Bund unter Roms Hegemonie* p. 7.

⁴ cf. Wachsmuth *De Luceria Apuliae urbe*. Progr. Lips. 1844.

⁵ Mommsen *Hermae* vol. XVIII p. 173—180.

⁶ CIL IX p. 214. *Hermae* vol. XVIII p. 164. ⁷ CIL IX n. 5420.

⁸ Lachm. p. 163 v. 5—14.

⁹ lib. col. p. 226.

qui agros tenebant cum vetustate possessionis tum eo quod Augustum probabant colonos Firmanos hortatum esse, ut subsiciva illa sua iam pertica aliena comprehensa statim venderent, id quod eos fecisse certe probabile erat. Quartani igitur coloni sunt non Falerienses, sed Firmani¹. Quae interpretatio ipsa quidem probabilis ut cum Plinio, qui Falerienses inter oppidanos nominat (§ 110), conveniret, statuendum esset Falerionem ultimis Augusti annis coloniam esse factam². Sed obstant quattuorviri Falerienses tituli coloniae minus apti, quos non ut Mommsenus³ duoviris et aedilibus coniunctis ortos credo. Videtur mihi, ut rationem interpretandi Plinio quoque magis convenientem adhibeam, lis illa de subsicivis deductione quartanorum Firmum orta esse. Nam, cum praeter rationem subsiciva reddendi iis, ex quorum territorio agri adsignandi sumpti erant, etiam ea in usu esset subsiciva dandi colonis deductis⁴, subsiciva partis cuiusdam territorii Falerionis quartanis commissa esse possunt. Quae cum, Augusto invito, non vendidissent, sed Faleriensibus possessionem eorum concessissent, lis illa orta est. Quare Falerionem ex coloniarum Augustarum numero eximo.

Obici potest laterculis Augustis quod Falerios Etruscorum appellant coloniam, cum in bonae aetatis titulis nominentur municipium et Gallieni demum tempore colonia⁵. Nolo ego quoque, secutus Mommsenum⁶, cum Belochio⁷ e Strabonis loco V p. 226 colligere duplicem urbem fuisse Falerios, nam deest apud Plinium municipii Faleriorum mentio, sed puto eas ultimis Augusti annis (CIL XI n. 3088) ex colonia municipium esse factas⁸ et tertio saeculo rursus coloniam. Coloniae ius amisisse mihi videtur etiam Aquileia, quae in titulis duobus appellatur municipium⁹. Quamquam Hirschfeldius¹⁰ eos Vitruvii fere tempore (a. a. C. 14) incisos esse putat, quo probato Aquileiam Pannonici fere belli tempore coloniam factam esse existimabis.

Iam vidimus in indicibus Augustis apud Plinium optime servatis nullas colonias nominatas fuisse nisi ab Augusto inde a pugna Philippensi deductas. Quod ubi cognovit Mommsenus, Augustum Plinii

¹ Etiam Rudorff (inst. grom. p. 456 sq.) Falerionem coloniam ab Augusto deductam esse putat, sed quartanos existimat esse Falerienses. Quibus cum deducerentur subsiciva concessa esse. Quod indici Augusto omnino contrarium est.

² cf. p. 23. 27 sq. ³ CIL IX p. 517. ⁴ Rudorff inst. grom. p. 392.

⁵ CIL XI n. 3083. 3103. 3112. 3125, 3089. 3091. 3092. 3093. 3094.

⁶ Hermae vol. XVIII p. 176. ⁷ l. l. p. 11. ⁸ cf. supra p. 15 sq.

⁹ CIL V n. 903. 968.

¹⁰ *Gallische Studien* (Berichte der Wiener Acad. 1883) p. 322.

auctorem in coloniis enumerandis omnino non fuisse statuendum esse putavit¹. Nam coloniis triumviralibus et Augustis solum ab Augusto eo nomine signatis, ceteras coloniarum iure privari. Quare verba Plinii § 46 interpretatur *er sagt wohl, dass die von ihm als Colonien angeführten Orte in der augustischen Liste, nicht aber dass sie darin als Colonien ständen*. Fieri non posse ut ita interpretemur suo iure ostendit Bormannus², sed deinde viam explicandi non probandam ingressus est. Putat enim coloniis ethnici forma scriptis additum fuisse *coloni mei*, id quod ab indicum horum natura abhorreere mihi videtur. Conlatis provinciarum laterculis Augustis apparet quaerendum esse sintne coloniae Augusti meliore quam ceterae Italiae civitates usae iuris condicione propter quam eas insigni in loco poneret Augustus. Et habuere privilegium unum satis grave. Legimus enim apud Suetonium (Aug. 46): *(Italiam) iure ac dignatione urbi quodam modo pro parte aliqua adaequavit (sc. Augustus), excogitato genere suffragiorum, quae de magistratibus urbicis decuriones colonici in sua quisque colonia ferrent et sub die comitiorum obsignata Romam mitterent*. Quo loco Suetonium Augustarum solum coloniarum decuriones significare apertum est, nam colonias veteres Augustus cur anteponeret municipiis? Amisere coloniae Augustae hoc privilegium a. p. C. 14 suffragiis a populo ad senatum translatis³ et videbimus infra (p. 47) eas Vespasiani tempore ceterarum civitatum indici inveniri insertas, sed laterculorum Augustorum cur illa sit forma Suetonii loco optime explicatur.

Restat ut quaeramus numerum coloniarum ante pugnam Actiacam et post eam deductarum. In indicibus Augusti inesse vidimus, Ostia seposita, colonias 46. Suis auspiciis deductas Italiam habere 28 Augustus ipse ait in indice rerum a se gestarum. Qui haud dubie est numerus post Actiacam victoriam deductarum. Appianus (b. c. 4, 3) dicit 18 urbium Italiae territoria a triumviris adsignationibus fuisse destinata. Ex quo numero exceptae sunt duae Vibo atque Regium (App. b. c. 4, 86). Dicit praeterea idem Appianus (b. c. 5, 22) τὸν Καίσαρα . . . τὴν Ἰταλίαν σχεδὸν ἅπασαν ἀντὶ μόνων ὀκτωκαίδεκα πόλεων τοῖς ἐστρατευμένοις καταγράφειν, τέσσαρσί τε καὶ τριάκοντα τέλεσιν ἀντὶ ὀκτῶ καὶ εἴκοσι τῶν συμμαχησάντων ἐπινέμειν γῆν. Ex quo sequitur numerum illum 18 nobis nulli usui esse. Comprehendit praeterea eas solum colonias, quae statim post pugnam Philippensem erant deducendae, non

¹ Hermae vol. XVIII p. 207.

² l. l. p. 34 sq.

³ Mommsen Staatsr. III 1 p. 347 sq.

annis sequentibus ab Octaviano deductas. Quare restat solus numerus 28, sed, antequam eo usi calculos subducamus, id observandum, posse ex hoc 28 coloniarum numero nonnullas, ut Florentiam et Falerios, deductas esse post Augusti librum confectum¹ et eam ob causam deesse apud Plinium, quarum numerum appello: x . Observandum etiam Beneventum², Capuam³, Ariminum⁴ et a triumviris et ab Augusto esse deductas. Est igitur coloniarum triumviralium numerus: $46 + 3 + x - 28 = 21 + x$. Fuere igitur, Florentiae atque Faleriorum ratione habita, 23 numero aut plures.

Iam, si ad inscriptiones recurrimus, nova oritur difficultas, qua impedimur quominus illis numeris utamur. Nam eas secuti non discernere possumus colonias ante a. a. C. 31 et post eum deductas, sed Iulias et Augustas. Deducta autem est pars Iuliarum post victoriam Actiacam et ante a. a. C. 27.

Ante a. a. C. 27 videntur esse deductae: 1. Capua App. b. c. 4, 3. Dio Cass. 49, 14. CIL X p. 368 sqq. 2. Suessa CIL X n. 4832. 3. Luceria App. b. c. 4, 3. 4. Venusia App. l. l. Horatius ep. 2, 2, 50. 5. Beneventum App. l. l. 6. Ancona App. b. c. 5, 23. 7. Hispellum Orelli 3885. 8. Tuder Mommsen Hermae vol. XVIII p. 183. 9. Fanum Fortunae Orelli 83. 10. Pisaurum Plut. Anton 60. Orelli 81. 11. Lucus Feroniae CIL XI n. 3938. 12. Sutrium CIL XI n. 3254. 13. Pisae CIL XI n. 1420. 14. Ariminum App. b. c. 4, 3. 15. Dertona Orelli 74. 16. Cremona Probus comm. ad Verg. ecl. p. 6. 17. Concordia CIL V n. 1884. 1901. 18. Pola CIL V n. 50. 1016. 8139, fortasse etiam 19. Saena propter nomen Iuliae in tabula Peutinger. additum, 20. Ateste CIL V p. 240 n. 2501, 21. Tergeste CIL V p. 53 n. 525. 532 II 3.

Post a. a. C. 27 deductae sunt:

1. Capua CIL X n. 3832. 2. Venafrum CIL X n. 4894. 3. Nola CIL X n. 1244. 4. Puteoli CIL VIII n. 7959. 5. Beneventum CIL IX n. 2165. 6. Parma CIL XI n. 1059. 7. Ariminum CIL XI n. 408. 414. Mommsen Hermae vol. XVIII p. 170. 8. Brixia CIL V n. 4212. 9. Augusta Taurinorum CIL V n. 7047. 6954. 7629. 10. Augusta Praetoria CIL V p. 756, fortasse etiam 11. Bononia Mommsen Hermae vol. XVIII p. 172.

Carent certis testimoniis: 1. Aquinum 2. Sora 3. Teanum 4. An-

¹ cf. p. 23. 27 sq.

² App. b. c. 4, 3. CIL IX n. 2165.

³ App. l. l. Dio Cass. 49, 14. CIL X n. 3832.

⁴ App. l. l. Mommsen Hermae vol. XVIII p. 170 (CIL XI p. 76).

tium 5. Minturnae 6. Bovianum Vetus 7. Bovianum Undecumanorum 8. Hadria 9. Firmum 10. Asculum 11. Falerii 12. Rusellae 13. Luca 14. Brixellum 15. Mutina 16. Placentia 17. Aquileia.

Restat ut quo tempore Augusti urbium Italicarum indices exarati sint quaeramus. Compositi sunt post a. a. C. 25, nam inest Augusta Praetoria (Dio 53, 25), et post a. a. C. 9, quod iam accuratius explicandum est. Finitur regio decima Illyrico contermina fluvio Arsia¹ (cf. III 44. 129. 132. 138. 139. 150). Qui quando terminus Italiae factus sit edocemur Strabonis loco VII p. 314 ἔφαμεν δ' ἐν τῇ περιοδείᾳ τῆς Ἰταλίας . . . διότι μέχρι Πόλας Ἱστρικῆς πόλεως προήγαγον οἱ νῦν ἡγεμόνες τοὺς τῆς Ἰταλίας ὄρους. Tiberium igitur, quo regnante Strabo scribebat, novi Italiae finis constituendi fuisse participem, cum alterum ἡγεμόνα Augustum fuisse consentaneum sit, Nissenus suo iure colligit². Sed quod propter verbum ἡγεμόνες Arsiam Italiae terminum factum esse dicit a. p. C. 13 aut 14, non rectum puto. Nam primum Strabonis verba non necessario ita interpretanda sunt, ut Tiberium quo tempore fines prolatae sunt summas in republica habuisse potestates putemus. Deinde cum Hispaniae et Siciliae (infra p. 37 sq.) tum Italiae ipsius (supra p. 23 sq.) laterculos ante ultimos Augusti annos esse scriptos gravibus demonstratur argumentis. Equidem puto Tiberium, cum a. a. C. 9 Pannoniam debellasset, Augusti auspiciis fines Italiae propagasse³. Certe ante id tempus quando huic negotio interesse potuerit nescio.

¹ Refutanda sunt ea, quae W. Kubitschek in libro *de Romanorum tribuum origine ac propagatione* (Abhandlungen des arch.-epigr. Seminars der Univers. Wien 1882) p. 81—87 disputavit. Qui maxime nomen quae apud Plinium III 130 et 139 sq. reperiebat, similitudine deceptus Italiam ab Augusto descriptam non ad Arsiam solum pertinuisse, sed partem etiam conventus Scardonitani usque ad Telavium fuisse complexam contendit. Quod non rectum est. Facit contra K. primum Arsiæ finis Italiae commemoratio totiens apud Plinium repetita, deinde quod is, quem K. construit, Italiae finis, artificiosus insuper, nusquam reperitur, immo Plinius (§ 127) anticum auctae Italiae terminum nominat Formionem, denique quod Strabo iam citandus principes nominat, qui προήγαγον terminum. — De Mommseni coniectura, qui primis Augusti temporibus totum Illyricum Italiae finibus comprehensum fuisse putat (comm. ad mon. Ancyr. p. 121 sq.) supra (p. 20) iam diximus.

² *Italische Landeskunde* p. 81 adn. 1.

³ Idem statuit Detlefsenus (*Das Pomerium Roms und die Grenzen Italiens* Hermae vol. XXI p. 515—18) finium Italiae propagationem cum pomerii prolatione a Dione (ad a. a. C. 8), Tacito, Vopisco narrata coniungendam esse ratus. Sed num tres hi scriptores recta tradiderint valde dubium est (Mommsen Staatsr. II 2³ p. 1024 adn. 4).

Scripti sunt laterculi, ut modo diximus, ante ultimos Augusti annos, eos ante Tiberium compositos esse ex eo sequitur, quod a. p. C. 14 coloniarum Augustarum privilegium suffragiorum sublatum est (supra p. 25).

IV. Illyricum.

Eodem modo descriptum est quo Hispania Narbonensis Italia. Quare ex Augusto excerpta videntur:

III 139 Detl.: „Conventum Scardonitanum petunt Iapudes et Liburnorum civitates XIII, ex quibus Lacinienses, Stulpinos, Burnistas, Olbonenses nominare non pigeat¹. Ius Italicum habent eo conventu Alutae, Flanates (a quibus sinus nominatur), Lopsi, Varvarini². immunesque Asseriates et ex insulis Fer-
tinales Curictae³. 140: Insulae (eius sinus) cum oppidis (praeter supra significatas) Absortium, Arba, Crexi, Gissa, Fortunata⁴.“

Ex periplo:

140: „colonia Iader.“

142: „Petunt in eam⁵ iura viribus discriptis in decurias CCCXLII Delmatae, XXV Deuri, CCXXXVIII Ditiones, CCLXVIII Maezaei, LII Sardeates . . . Petunt et ex insulis Issaei, Solentini⁶, Separi, Epetini⁷.“

Ex periplo:

141: „Tragurium civium Romanorum . . . Salona colonia.

152: Issa civium Romanorum.“

142: „(M. Varro LXXXVIII civitates eo⁸ ventitasse auctor est).

143: nunc soli prope noscuntur Cerauni decuriis XXIII, Dauri

¹ Excepsi haec conlatis Hispaniae Tarraconensis conventibus Cluniensi et Asturo.

² Ita interpungendum esse ex ordine alphabetico sequitur. Ad verba *immunesque* supplendum est *sunt*, quod vidit Zumptius comm. ep. I 480 sq.

³ CIL III n. 3126.

⁴ Quale eorum fuerit ius neque his neque gentium quae secuntur decuriis addit Plinius, sed ex eo quod opponuntur iure Italico et immunitate donatis eos stipendiarios fuisse colligendum est. Conferendi Hispaniae conventus Cluniensis Asturus Bracarum. ⁵ Sc. Salonam.

⁶ Ita scribendum conlato CIL III p. 396.

⁷ Disturbat ordinem alphabeticum, sed non corruptum puto cf. CIL III p. 303.

⁸ Sc. Naronam.

XVII, Desitiatas CIII, Docleates XXXIII, Deretini XIII, De-raemestae XXX, Dindari XXXIII, Glinditiones XLIII, Melcu-mani XXIII, Naresi CII, Scirtari LXXII, Siculotae XXIII, (po-pulatoresque quondam Italiae) Vardaei (non amplius quam) XX decuriis.“

Ex periplo:

142: „Narona colonia. 144: Epidaurum colonia . . . oppida civium Romanorum Rhizinium, Acruium, Butuanum, Ol-cinium . . . oppidum civium Romanorum Scodra . . . Lissum oppidum civium Romanorum.“

Iam quo tempore hi laterculi compositi sint investigemus. Supra (p. 20) iam commemoravimus colonias Salonam Iadrum Naronam ab Augusto ante pugnam Actiacam esse deductas. Porro, ut post a. a. C. fere 9 indices hos scriptos esse putemus, cogimur eo quod Plinius conventus Scardonitani finem septentrionalem nominat Arsiam flumen (n. h. III 139. 150. cf. supra p. 27). Sed nihilominus colligerit quispiam ex similitudine nominum, quae insunt in conventus Scardonitani et regionis X laterculis, indices Illyricos, quoniam contineant plures civitates Arsia fine constituto Italiae adiectas, antiquiores esse quam Italicos. Sed primum nomina haec exceptis unicus Asseriatibus omnia inter se diffe-runt:

§ 130

Alutenses

Flamonienses Curici

Varvari

§ 139

Alutae

Fertinates Curictae

Varvarini,

deinde Asseriam inter Iadrum et Scardonam sitam¹ et Curictam insulam² quis putabit cum Italia fuisse coniunctas? Denique Οὐαρουαρία a Pto-lemaeo nominatur inter Illyrici oppida³.

Scripti sunt laterculi ante Vespasianum, siquidem is Scardonae ius dedit municipii Flavii⁴, et ante Claudium, nam commemorat quidem Pli-nius in periplo (§ 141) Siculos *in quem locum divus Claudius veteranos misit*, sed ea certe non in laterculis illis scripta fuere. Nam quas ex indicibus Augustis exscripsit Plinius colonias, eis, ut conlatis omnibus indicibus manifestum est, nihil adiecit nisi verbum *colonia*, de conditore tacens. Hoc loco conditorem nominat, cum, num Siculi locus re vera factus sit colonia, in dubio relinquat. Sed ut haec a Plinio ipso ad-iecta esse putemus etiam alia commovemur causa. Nam deest in indi-cibus, id quod, nisi ante Claudium essent scripti, certe fieri non po-

¹ CIL III p. 370.

² CIL III p. 398.

³ II 16, 9.

⁴ CIL III n. 2802.

tuisset, Aequum in titulis militum inde oriundorum appellatum colonia Claudia¹. Ut accuratius etiam definiamus Hispania Italia Sicilia, de qua nunc dicendum erit, conferendae sunt.

V. Sicilia.

Ex Augusto videntur esse petita:

III 88 Detl.: „Coloniae ibi V, urbes ac civitates LXIII. 91: (Intus autem) Latinae condicionis Centuripini, Netini, Segestani. stipendiarii Assorini, Aetnenses, Agrini, Acestaei, Acresens, Bidini, Cetarini, Drepanitani, Ergetini, Echelienses, Erycini, Entellini, Enini, Egguini, Gelani, Galacteni, Halesini, Hennenses, Hyblenses, Herbitenses, Herbessenses, Herbulenses, Halicuenses, Hadranitani, Imacarenses, Ipanenses, Ietenses, Mustratini, Magellini, Murgentini, Mutycenses, Menanini, Naxi, Noini, Petrini, Paropini, Phintienses, Semelitani, Scherini, Selinunti, Symaethii, Talarenses, Tissinenses, Triocalini, Tyracinenenses, Zanclaei.“

Ex periplo:

88: „oppidum Messana civium Romanorum . . . colonia Tauromenium. 89: colonia Catina . . . colonia Syracusae. 90: Thermae colonia . . . Tyndaris colonia. 93: Lipara cum civium Romanorum oppido.“

Sed inserenda sunt indici etiam ea nomina peripli, quibus Plinius adicit *oppidum*. Eum enim nullam civitatem quae non extabat apud Augustum eo nomine significasse, quoniam, Augustum certe secutus, numerum omnium insulae civitatum exhibet, cognoscere possumus. Itaque addenda sunt stipendiariis (nam si melioris fuissent iuris, certe id ut solet commemorasset Plinius):

89: „oppida Leontini, Megaris . . . oppidum Camarina . . . oppidum Acragas. 90: oppidum Lilybaeum . . . oppida Panhormum, Soluus, Himera . . . Cephaloedis, Aluntium, Agathyrnum . . . oppidum Mylae.“

Habemus igitur, ommissa Lipara cum ceteris insulis parvis, quas, ut ab Hispaniae Tarraconensis civitatibus Baleares (supra p. 9) seiunxit, Plinius numero 63 non comprehendit:

¹ CIL III p. 360.

Latinae condicionis	3
stipendiarios	46
Ex periplo:	
oppidum civ. Rom.	1
stipendiarios	12
	62

Deest una civitas. Quam Drepanum (§ 90) non esse manifestum est, nam ad *Drepana* haud dubie supplendum est promunturium, deinde Drepanitani insunt iam in indice alphabetico stipendiariorum. Neque ullo modo unam hanc civitatem reperiri posse existimo. Quare urbium ac civitatum numerus corrigendus est atque scribendum: LXII. Coloniae quinque omnes adsunt. Satis accurate igitur Plinius orae maritimae descriptionem cum Augusti libro comparavit.

Quos laterculos, quamquam, ut apertum est, Augusti vestigia in iis cerni ipse concedit, Mommsenus interpolatos putat¹. Quod quoniam ceteri indices eodem modo compositi nullas omnino continent interpolationes, immo fons sunt quo nullus potest esse purior, probari non potest.

Adfert Mommsenus, ut singula infra tractanda omittam, hoc argumentum: Cum apud Plinium inveniamus civitates Latinas atque stipendiarias, omnes Siculos Augusti tempore civitatem Romanam habuisse constat. Quod demonstratur loco epistolae Ciceronis ad Att. XIV, 12, 1 scriptae Puteolis a. d. X. Kalendas Maias a. u. c. 710 *Scis quam diligam Siculos et quam illam clientelam honestam iudicem: multa illis Caesar, neque me invito, etsi Latinitas erat non ferenda, verumtamen —; ecce autem Antonius accepta grandi pecunia fixit legem a dictatore comitiis latam, qua Siculi cives Romani, cuius rei vivo illo mentio nulla. Rescissa quidem acta Antonii², sed post triumviratus constitutionem fortasse rata habita sunt. Certe Siculis civitas servata est. Quod testatur Diodorus 13, 35, 3: μέχρι ὅτου πάντες οἱ Σικελιώται τῆς Ῥωμαίων πολιτείας ἠξιώθησαν et 16, 70, 6: καὶ ἠρέθη πρῶτος ἀμφίπολος Διὸς Ὀλυμπίου Καλλιμένης, καὶ τὸ λοιπὸν διετέλεσαν οἱ Συρακόσιοι τοὺς ἐνιαυτοὺς ἐπιγράφοντες τούτοις τοῖς ἀρχουσι μέχρι τῶνδε τῶν ἱστοριῶν γραφομένων καὶ τῆς κατὰ τὴν πολιτείαν ἀλλαγῆς τῶν γὰρ Ῥωμαίων μεταδόντων τοῖς Σικελιώταις τῆς πολιτείας ἢ τῶν ἀμφιπόλων ἀρχὴ ἐταπεινώθη, διαμείνασα ἔτη πλείω τῶν τριακοσίων³. Vehementissime igitur*

¹ CIL X p. 713.

² Cic. Phil. 12, 5, 2. 13, 3, 5.

³ i. e. ab a. a. C. 347, quo tempore Γάιος Πλαύτιος et Τίτος Μάλλιος erant consules (Diod. 16, 70, 1), usque ad a. a. C. 44.

Augusti et Ciceronis Diodorice testimonia inter se pugnare videntur. Sed iam video quomodo difficultatem hanc superemus. Et ab Augusto et ab aliis imperatoribus civitates singulas privilegiis suis esse privatas multis comprobatur exemplis. Constat deinde Augustum civitatem Romanam parcissime dedisse atque etiam datam ademisse (cf. supra p. 13). Licuit denique ei per ius belli de insula armis superata liberum ferre iudicium. Itaque statuendum puto Augustum Siciliae a. 36 civitatem ab Antonio datam ademisse. Punitas esse urbes eius quae resistebant Dio Cassius testis est (49, 12). Porro civitatem Siculis concessam rem fuisse praecipitem et inauditam e Ciceronis verbis elucet. Denique bonus provinciae status bello, quo servi etiam plurimi sumpsere arma, funditus erat eversus.

At dixerit quispiam: loci illi Diodori post a. 36 scripti sunt. Sed primum, me quidem iudice, Diodorus civitatem Siculis datam commemorare potuit etiam quo tempore iam erat amissa, deinde quando Diodorus illa scripserit omnino non constat. Quod iam accuratius perquiram.

Diodori bibliotheca quando scripta sit exponitur.

Quo tempore scripserit Diodorus enucleare studet Mommsenus (*Römische Forschungen* II p. 267 adn. 61): *Diodor schrieb nach dem Tode des Dictators Caesar (1, 4) und nach der Ordnung Siciliens durch dessen Sohn (16, 7), also nach 718; aber da er sein Werk mit dem ersten Consulat Caesars 695 schloss und Caesar den Sohn nicht als Augustus bezeichnet, so hat er wahrscheinlich vor dem Abschluss der Bürgerkriege durch die Schlacht bei Actium (723) und vor Caesars Annahme des Augustusnamens (727) sein Werk abgefasst. Die Umgestaltung des Stammbaumes der Julier wird in dieselbe Zeit fallen und aus denselben Motiven hervorgegangen sein wie die Consecration Caesars, welche Diodor auch kennt; die rasche Verbreitung der Legende ist nicht auffallend, da sie zu der officiösen Adulation gehört.* Deinde idem ad modo citata (l. l. p. 549 adn. 1): *Ich habe an dieser Stelle übersehen, dass die Ausführung der Colonie Tauromenium, welche Diodor kennt (16, 7), nach der Notiz bei Dio. 54, 7 in das J. 733 zu setzen ist, also Diodors Werk etwas später geschrieben ist, als ich dort angenommen habe.* Sed plures loci digni qui commemorentur fugere Mommsenum, quare numeros librorum secutus eos cum ceteris afferam.

1, 4, 1 Dind.: Διόπερ ἡμεῖς ὀρῶντες τὴν ὑπόθεσιν χρησιμωτάτην μὲν οὖσαν, πολλοῦ δὲ πόνου καὶ χρόνου προσδεομένην, τριάκοντα μὲν

ἔτη περι αὐτὴν ἐπραγματεύθημεν, μετὰ δὲ πολλῆς κακοπαθείας καὶ κινδύνων ἐπήλθομεν πολλὴν τῆς τε Ἀσίας καὶ τῆς Εὐρώπης, ἵνα τῶν ἀναγκαιοτάτων καὶ πλείστων μερῶν αὐτόπται γενηθῶμεν. 6. ἐπεὶ δ' ἡ μὲν ὑπόθεσις ἔχει τέλος, αἱ βίβλοι δὲ μέχρι τοῦ νῦν ἀνέκδοτοι τυγχάνουσιν οὔσαι, βούλομαι βραχέα προδιορίσαι περὶ ὅλης τῆς πραγματείας. 7. ἐν δὲ ταῖς ἑξῆς εἴκοσι καὶ τρισὶ βίβλοις τὰς λοιπὰς (sc. πράξεις) ἀπάσας κατετάξαμεν, μέχρι τῆς ἀρχῆς τοῦ συστάντος πολέμου Ῥωμαίοις πρὸς Κελτούς, καθ' ὃν ἡγούμενος Γάιος Ἰούλιος Καῖσαρ ὁ διὰ τὰς πράξεις προσαγορευθεὶς θεὸς κατεπόλεμησε μὲν τὰ πλείστα καὶ μαχιμώτατα τῶν Κελτῶν ἔθνη, προεβίβασε δὲ τὴν ἡγεμονίαν τῆς Ῥώμης μέχρι τῶν Βρεττανικῶν νήσων· τούτου δ' αἱ πρῶται πράξεις ἐπετελέσθησαν ὀλυμπιάδος τῆς ἑκατοστῆς καὶ ὄγδοηκοστῆς κατὰ τὸ πρῶτον ἔτος¹) ἐπ' ἄρχοντος Ἀθήνησιν Ἡρώδου.

1, 5, 1: ἀπὸ δὲ τῆς πρώτης ὀλυμπιάδος εἰς τὴν ἀρχὴν τοῦ Κελτικοῦ πολέμου, ἦν τελευτὴν πεποιήμεθα τῆς ἱστορίας, ἑπτακόσια καὶ τριάκοντα² (sc. ἔτη).

1, 44, 1: ὑπ' ἀνθρώπων δὲ τὴν χώραν (sc. τὴν Αἴγυπτον) βεβασιλευσθαὶ φασιν [ἀπὸ Μοίριδος] ἔτη βραχὺ λείποντα τῶν πεντακισχιλίων μέχρι τῆς ἑκατοστῆς καὶ ὄγδοηκοστῆς ὀλυμπιάδος, καθ' ἣν ἡμεῖς μὲν παρεβάλομεν εἰς Αἴγυπτον, ἐβασίλευε δὲ Πτολεμαῖος ὁ νέος Διόνυσος χρηματίζων.

1, 83, 8: (Romanus propter aelurum necatum ab Aegyptiis occisus est) καθ' ὃν χρόνον Πτολεμαῖος μὲν ὁ βασιλεὺς ὑπὸ Ῥωμαίων οὕτω προσηγόρευτο φίλος. 9: καὶ τοῦτο οὐκ ἔξ ἀκοῆς ἡμεῖς ἱστοροῦμεν, ἀλλ' αὐτοὶ κατὰ τὴν γεγενημένην ἡμῖν ἐπιδημίαν κατ' Αἴγυπτον ἑορακότες.

3, 11, 3: καὶ γὰρ ἡμεῖς καθ' ὃν καιρὸν παρεβάλομεν εἰς Αἴγυπτον, πολλοῖς μὲν τῶν ἱερέων ἐνετύχομεν, οὐκ ὀλίγοις δὲ καὶ πρεσβευταῖς ἀπὸ τῆς Αἰθιοπίας παροῦσιν εἰς λόγους ἀφικόμεθα· παρ' ὧν ἀκριβῶς ἕκαστα πυθόμενοι, καὶ τοὺς λόγους τῶν ἱστορικῶν ἐξελέξαντες, τοῖς μάλιστα συμφωνοῦσιν ἀκόλουθον τὴν ἀναγραφὴν πεποιήμεθα.

3, 38, 2: τὸ περὶ τὰς Βρεττανικὰς νήσους καὶ τὴν ἄρκτον ἥκιστα πέπτωκεν ὑπὸ τὴν κοινὴν ἀνθρώπων ἐπίγνωσιν. ἀλλὰ περὶ μὲν τῶν πρὸς ἄρκτον κεκλιμένων μερῶν τῆς οἰκουμένης τῶν συναπτόντων τῇ διὰ ψυχὸς ἀοικήτῳ διέξιμεν ὅταν τὰς Γαίου Καίσαρος πράξεις ἀναγράψωμεν· 3: οὗτος γὰρ τὴν Ῥωμαίων ἡγεμονίαν εἰς ἐκεῖνα

¹ Aut erravit Diodorus aut numerus est corruptus cf. Clinton fast. Hell. ad a. 59. ² cf. Clinton l. 1.

τὰ μέρη πόρρωτάτω προβιβάσας πάντα τὸν πρότερον ἀγνοούμενον τόπον ἐποίησε πεσεῖν εἰς σύνταξιν ἱστορίας.

4, 19, 2: διέμεινε δ' αὕτη (sc. ἡ Ἀλησία) πάντα τὸν ἀφ' Ἡρακλέους χρόνον ἐλευθέρα καὶ ἀπόρθητος μέχρι τοῦ καθ' ἡμᾶς χρόνου· τὸ δὲ τελευταῖον ὑπὸ Γαίτου Καίσαρος τοῦ διὰ τὸ μέγεθος τῶν πράξεων θεοῦ προσαγορευθέντος ἐκ βίας ἀλοῦσα συνηναγκάσθη μετὰ πάντων τῶν ἄλλων Κελτῶν ὑποταγῆναι Ῥωμαίοις.

5, 21, 2: καθ' ἡμᾶς δὲ Γάιος Καίσαρ ὁ διὰ τὰς πράξεις ἐπονομασθεὶς θεὸς πρῶτος τῶν μνημονευομένων· ἐχειρῶσατο τὴν νῆσον (sc. τὴν Βρεττανικήν), καὶ τοὺς Βρεττανοὺς καταπολεμήσας ἠνάγκασε τελεῖν ὠρισμένους φόρους· ἀλλὰ περὶ μὲν τούτων τὰς κατὰ μέρος πράξεις ἐν τοῖς οἰκείοις χρόνοις ἀναγράψομεν.

5, 22, 1: ἀλλὰ περὶ μὲν τῶν κατ' αὐτὴν νομίμων καὶ τῶν ἄλλων ἰδιωμάτων τὰ κατὰ μέρος ἀναγράψομεν ὅταν ἐπὶ τὴν Καίσαρος γενομένην στρατείαν εἰς Βρεττανίαν παραγενθῶμεν.

5, 25, 4: ὁ Ῥήνος, ὃν ἐν τοῖς καθ' ἡμᾶς χρόνοις Καίσαρ ὁ κληθεὶς θεὸς ἔζηυξε παραδόξως, καὶ περαιῶσας πεζῇ τὴν δύναμιν ἐχειρῶσατο τοὺς πέραν κατοικοῦντας αὐτοῦ Γαλάτας.

13, 35, 3: cf. p. 31.

16, 7, 1: ἡ δὲ πόλις (sc. Ταυρομένιον) ἀξιόλογον ἀξίωμα περιποιησαμένη τὸ τελευταῖον ἐν τῷ καθ' ἡμᾶς βίῳ, Καίσαρος ἀναστήσαντος τοὺς Ταυρομένιτας ἐκ τῆς πατρίδος, Ῥωμαίων ἀποικίαν ἐδέξατο.

16, 70, 6: cf. p. 31.

32, 27, 3 ad destructionem Corinthi a. 146 factam: ὅτι κατὰ τοὺς τῆς παλαιᾶς ἡλικίας καιροῦς, διεληλυθότων σχεδὸν ἐτῶν ἑκατὸν, θεασάμενος τὴν Κόρινθον Γάιος Ἰούλιος Καίσαρ ὁ διὰ τὰς πράξεις ὀνομασθεὶς θεὸς εἰς τοιαύτην ἦλθε συμπάθειαν καὶ φιλοδοξίαν, ὥστε μετὰ πολλῆς σπουδῆς πάλιν αὐτὴν ἀναστήσαι.

Scripta sunt ea quae excerpti:

1, 4, 1—7: post a. a. C. 58 (belli Gallici initium), 54 (expeditio Britannica), 44 (divus Iulius).

1, 5, 1: post a. 58 (bell. Gall. initium).

1, 44, 1

1, 83, 8

3, 11, 3

} post a. 60 cf. Clinton fast. Hell. ad eum annum.

3, 38, 2. 3: post a. 54 (exped. Brit.).

4, 19, 2: post a. 52 (Alesia capta), 44 (divus Iulius).

5, 21, 2: post a. 54 (exped. Brit.), 44 (divus Iulius).

- 5, 22, 1: post a. 54 (exped. Brit.).
 5, 25, 4: post a. 55 (Rhenus ponte traiectus), 44 (divus Iulius).
 13, 35, 3: post a. 44 (supra p. 31).
 16, 7, 1: post a. 36, quo coloniam Tauromenitanam puto conditam, non a. 21, ut statuit Mommsenus (supra p. 32). Primum enim verbis Dionis 54, 7 non demonstratur Tauromenium a. 21 deductam esse, nam nomen eius non appellatur. Deinde incolas urbis videtur eiecisse Octavianus quod eam in bello Siciliensi frustra temptavit (App. b. c. 5, 110). Quod fieri potuit a. 36, quo Octavianum agros adsignandos defecisse, ut etiam emere eos cogeretur, testatur Dio Cassius (49, 14), non a. 21 tot annis dilapsis. Appellatur praeterea Octavianus l. l. Caesar, non Augustus.
 16, 70, 6: post a. 44 (supra p. 31).
 32, 27, 3: post a. 46 (centum fere annis post Corinthum deletam), 44 (divus Iulius).

Ac mihi quidem certum videtur Diodorum bibliothecam suam composuisse inde ab anno fere 60 usque ad annum 30. Triginta enim annis dicit se ei operam navasse studiis et itineribus (1, 4, 1). Initium autem scribendi materiemque cogendi fecisse videtur quo tempore Aegyptum adiit i. e. a. 60 (1, 44, 1. 83, 8; 3, 11, 3). Quocum optime conveniunt testimonia Suidae γέγονε δὲ (sc. ὁ Διόδωρος) ἐπὶ τῶν χρόνων Αὐγούστου Καίσαρος καὶ ἐπάνω et Hieronymi a. 1968 (49/48) *Diodorus Siculus Graecae scriptor historiae clarus habetur*. Quare iam manifestum est omnes paene illos quos citavi locos libris multo antea iam confectis esse insertos. Atque 1, 4 et 5 cum totum opus a. 30 editurus esset Diodorus addita esse apparet. Multo certe antea adiecti sunt loci 3, 38, 2; 5, 21, 2. 22, 1, quibus se bella Caesaris cum Britannis scripturum promittit, cum 1, 4 et 1, 5 hoc consilio abiecto finem sibi ponat initium belli Gallici. Inter a. 36 et 30 inserta est coloniae Tauromenitanae commemoratio. Illa de Siculorum civitate verba quando addiderit Diodorus nescio.

Sed iam redeamus ad laterculos Plinianos, quos perlustrantes videmus nullo modo refelli ea quae supra (p. 32) de Siculorum condicione disputavimus. Quod apertum est in pluribus oppidis. Quae sunt coloniae: Tauromenium. Quam a. 70 foederatam appellat Cicero (in Verr. II 3, 6, 13), quo a. 36 coloniam deductam esse supra contendit.

Syracusae, quo a. 21 Augustus coloniam deduxit (Dio Cass. 54, 7).

Tyndaris, quam, quod Dio Cassius l. l. dicit praeter Syracusas ἐτέρας τινὰς πόλεις colonias factas esse et quod in titulis appellatur Augusta, Mommsenus suo iure eodem anno conditam putat (CIL X p. 771).

Catina, quae certe ab Octaviano post bellum Siculum (Strabo 6 p. 268. 272), fortasse a. 21 colonia facta est (CIL X p. 720).

oppida civ. Rom.:

Messana. Quam Cicero l. l. nominat foederatam. Ius municipii a. 44 ab Antonio donatum, quia a. 40 S. Pompeio restiterat, ei videtur esse servatum (Dio Cass. 48, 17).

Lipara, cui item municipii ius, quod nummi etiam testantur, mansit (CIL X p. 772). Lipareses, cum ceteri insularum incolae ad S. Pompeium defecissent, Octavianus Neapolim transtulit (Dio 48, 48). Insula ipsa in debellando illo Octaviano magno fuit commodo (Dio Cass. 49, 1. 7).

oppida Latina:

Centuripae. Quam urbem Cicero l. l. appellat liberam et immunem. Municipium c. R. facta est a. 44 et post Pompeium devictum Latium ei concessum, quod innuit Strabo 6 p. 272 ταύτην δὲ τὴν πόλιν (sc. τὰς Συρακούσας) ἀνέλαβεν ὁ Καίσαρ καὶ τὴν Κατάνην, ὡς δ' αὐτῶς Κεντόριπα συμβαλομένην πολλὰ πρὸς τὴν Πομπηίου κατάλυσιν.

Netum. Quod a Cicerone (Verr. II 5, 22, 56) appellatur foederatum, deinde a. 44 municipium c. R. est factum, post bellum Siculum in oppidi Latini ius redactum.

Segesta. Quae, cum libera et immunis fuisset (Cic. Verr. II 3, 6, 13), eandem quam Netum habuit fortunam.

stipendiaria:

Halicye. Quae, cum secundum Ciceronem (l. l.) libera et immunis fuisset, bello civitatem amisit stipendiariaque facta est.

Ex insulis: Melita. Quae, quia cum Sicilia administrabatur, certe et ipsa a. 44 civitatem accepit¹. De cuius iure quoniam Plinius nil adiecit (§ 92), bello eam stipendiariam factam et ita apud Augustum nominatam fuisse putandum est. Quod confirmatur Tiberianae aetatis inscriptione (CIGr. n. 5754), in qua Melitenses magistratibus certe non Romanis utuntur.

Iam ad reicienda nonnulla, quibus laterculi Pliniani in suspicionem vocati sunt aut vocari possunt, accedo.

¹ Aliter iudicat Mommsenus CIL X p. 773.

Coloniae nomen Plinius indidit Thermis Selinuntiis, ut periplo comprobatur. Quae Thermae ne rempublicam quidem videntur adeptae esse (CIL X p. 739), sed Thermae Himereae, quas Plinius omnino non commemorat, ut ex titulo CIL X n. 7345 efficitur, fuere colonia Augusta. Erratum certe est, sed quod luce clarius non ab Augusto, sed a Plinio, qui, cum Thermas Selinuntias inveniret in periplo, apud Augustum colonos Thermitanos, quia duas Siciliae esse Thermas ignorabat, illis nomen coloniae apponere non dubitavit. Videmus igitur quomodo Plinius periplum ex Augusto suppleverit. Deducta est Thermitanorum Himereorum colonia, quod nomen habet Augustae, post a. 27, quare id a. 21 factum esse videtur (Dio Cass. 54, 7).

Oppida stipendiaria sunt apud Plinium:

Henna. Quae appellatur in nummis, quos per bella civilia ante proelium Actiacum cusos esse opinatur Mommsenus (CIL X p. 736. Mionnet I p. 234 n. 212 sq. S. I p. 385 n. 187 sq.) *mun.* *Henna* aut *Hennae* adiectis duovirum nominibus. Sed nil obstat, quominus eos nummos ante a. 36, quo tempore omnibus Siculis civitas fuit, signatos et post bellum Siculum Hennenses stipendiarios factos putemus.

Agrigentum. Cuius oppidi extant nummi inscripti latine *Agrigentum*, nomine imperatoris non addito, quos per bella civilia cusos putat Mommsenus (CIL X p. 737). Qui ante a. 36 mihi videntur esse cusi. Extant deinde nummi, qui habent caput Augusti et Agrippae (?) et graecam inscriptionem¹. Qui laterculorum Augustanorum tempore mihi signati videntur. Extant denique nummi qui habent caput Augusti inscripti, ut cetera omittam, nominibus duovirum. At inveniuntur duoviri etiam in oppidis peregrini iuris². Sed hanc explicandi viam, quoniam meliorem video, non ingrediar³. Est enim eorum qui mihi innotuerunt huius generis nummorum inscriptio: *Augusto p. p.*⁴, sunt igitur ultimorum Augusti annorum (post a. a. C. 2), ante quos Augusti indices scriptos esse putandum est. Agrigentum igitur cum ceteris oppidis Siculis municipium factum est a. 44. Quam iuris condicionem cum bello S. Pompei amisisset ultimis Augusti annis recuperavit.

Lilybaeum. Eandem quam Agrigentum habuit sortem. Municipium enim appellatur in titulo CIL X n. 7223 et in nummis sub Augusto cusis est: *Augu(stanorum) Lilybil(anorum)*. Quare, cum probabile sit

¹ Cat. num. Sic. britt. mus. p. 23 n. 165.

² Infra p. 45.

³ Idem pertinet ad Panormum (infra p. 38).

⁴ Eckhel I p. 194. Cat. num. Sic. britt. mus. p. 22 et 23 n. 160—64.

J. Klein *Die Verwaltungsbeamten der Provinzen des röm. Reichs* I p. 99.

ius municipii et nomen Augustae una esse data, id quod ultimis Augusti annis factum opinor, colligendum est, fuisse sub Augusto tempus, quo Lilybaeum peiore utebatur iure quam municipii i. e. iure stipendiariorum quod habet apud Plinium et quod bello Siculo, quo Lepidus id oppugnavit (Dio Cass. 49, 8), ei datum esse puto.

Halaesa. Eadem usa est fortuna. Nam tempore post conscriptos indices Augusti facta est municipium. Ita nominatur in titulo CIL X n. 7458 propter nomina *p. p.* Augusto adscripta ultimis eius annis (post a. a. C. 2) inciso. Idem dicendum est de

Haluntio. Nam titulus CIL X n. 7463, in quo appellatur municipium, quod Augustus in eo nominatur pontifex maximus, certe post a. a. C. 12 positus est, neque aliquid obstat, quin id multo etiam serius factum esse existimemus.

Panormus. Cuius oppidi extant nummi ante a. a. C. 27 cusi et nominibus propraetoris P. Silvae et duovirum signati (Klein l. l. p. 90), quos ego ante bellum Siculum confectum cusos opinor. Appellatur deinde Panormus *col(onia) Aug(usta)* in titulo CIL X n. 7279. Quod quando facta sit docent nummi. Exhibet Klein l. l. p. 92 nummos Panormitanos signatos nominibus L. Sexti proconsulis et duovirum Cn. D. Proc. A. Laetor. Quem Sextium aut Sestium, quod a. a. C. 23 consul fuit suffectus, intra annos 27/24 proconsulem Siciliae fuisse putat. Quod non rectum esse apparet collato catal. num. Sic. mus. britt. p. 125 n. 45: PANHORMITANORVM *Head of Augustus l., radiate; in front, thunderbolt.* | CN. DO. ROC .AETOR. IIVIR. *Capricorn cet. (cf. n. 46), et n. 47: PANORMITAN Livia as Demeter, veiled, seated r. on throne, holding patera and ears of corn.* | CN. D *Ram standing l.* Inscripta sunt

LA

igitur eorundem duovirum, qui in Sexti extant nummis, nomina nummis post Augusti certe mortem cusi. Quare non dubito quin post Augusti mortem Sextius Siciliam administraverit, nummos cuderit. Eodem tempore Siciliae fuit proconsul etiam L. Seius Tubero (Klein l. l. p. 93), in cuius nummis iidem magistratus inveniuntur qui in aliis illius Sexti nummis (qua de causa eum intra annos a. C. 27/23 Siciliae praefuisse putat Kleinius l. l.). Qui Tubero a. p. C. 18 fuit consul suffectus¹, cui rei optime conveniunt ea quae de proconsulatu eius statuimus. Extant denique nummi proconsulis Sisennae duovirum nominibus inscripti (Klein

¹ Fasti Antiates: CIL I p. 475, XIV. Fasti Arv. p. CCXLIII Henzen. Orelli 1495.

l. l. p. 96 sq.), sed primum num Panormi sint incertum est, deinde quo tempore cusi sint non constat¹. Nullo igitur modo Plinii testimonium redarguitur. Municipium facta est Panormus a. 44, oppidum stipendiarium bello Siculo, ultimis denique Augusti aut primis Tiberii principis annis colonia.

Reicienda denique sunt alia quae leviora puto. Hyblenses², Gelani³, Selinuntii⁴, Erycini⁵, alii num rempublicam habuerint in dubium vocatur. Quod accuratius non perquiram. Nam licet oppida Hybla, Gela cet. Augusti tempore non exstiterint, id quod plerumque non demonstratum esse puto, hoc Plinii auctoritas non infringitur. Nam posunt nihilominus Hyblenses, Gelani cet. fuisse civitates, rusticae scilicet, quibus fortasse nihil fuit nisi curia. Consilio Augustus non scripsit *Hybla, Gela*, sed ethnici forma usus est, quod civitates ei erant enumerandae et urbanae et rusticae.

Iam laterculos Augustos cum eis conferamus, qui e Ciceronis orationibus in Verrem sumi possunt. Primum id commemorandum existere apud Augustum nullas civitates censorias et decumanas, quae Ciceronis tempore fuere plurimae⁶, sed multas stipendiarias, quae antea fuere nullae. Desunt deinde apud Augustum nonnullae civitates, quae apud Ciceronem inveniuntur: Acherini, Amestratini, Apollonienses, Capitini, Elorini, Heracleenses, Inenses⁷. Quae videntur bello Siculo intercidisse aut ab Augusto aliis civitatibus adiectae esse.

Restat ut quo tempore laterculi Augusti scripti sint exponam. Quod factum est post a. 21 quo Syracusae aliaeque coloniae deductae sunt; id factum esse ante ultimos Augusti annos multis exemplis ostendimus.

¹ Klein l. l. eos anno a. C. 12 adscribit, sed firmis argumentis nullis.

² CIL X p. 720.

³ l. l. p. 737.

⁴ l. l. p. 739.

⁵ l. l. p. 746.

⁶ Marquardt Röm. Staatsverwaltung I³ p. 244 sq.

⁷ Ad civitates a Marquardtio l. l. adn. 13 compositas accedunt Scherini et Tyracini (in Verr. II 3, 103. 129). Mommsenus Ciceronem secutus CIL X p. 713 apud Plinium desiderat Assoritanos, Apollonienses, Calactinos, Capitinos, Elorinos, Heracleenses. Sed Assoritanos non inveni apud Ciceronem, Calactini adsunt apud Plinium diversa scilicet nominis forma: *Galacteni*. — Liceat mihi hic adicere Marquardtium civitates Sicilienses, quae fuere tempore liberae reipublicae, non recte divisisse mihi videri. Certe enim civitates censoriae non fuere 26 numero cf. Cic. in Verr. 3, 6, 13 *per paucae Siciliae civitates sunt bello a maioribus nostris subtractae . . . is ager a censoribus locari solet*. Quare ego ex Livii loco a Marquardtio allato (26, 40, 14) eas fuisse 6 numero concludere malim. Decumanae igitur fuere circiter 51. Cicero (in Verr. II 3) eas certe solas nominat civitates, in quas Verres saevierat.

VI. Afrika:

Ex Augusto videntur esse hausta :

V 29 Detl.: „(Ad hunc finem) Africa (a fluvio Ampsaga) populos DXVI habet (qui Romano pareant imperio). in his colonias sex, praeter iam dictas Vthinam, Thurburbi. oppida civium Romanorum XV, ex quibus in mediterraneo dicenda Assuritanum¹, Abutucense, Aboriense, Canopicum, Chimavense, Simithuense², Thunusidense, Thubursicense³, Thinidrumense, Tibigense, Vcitana duo Maius et Minus, Vagense. oppidum Latinum unum Vzalitanum. oppidum stipendiarium unum Castris Corneliis. 30: oppida libera XXX, ex quibus dicenda intus Achollitanum, Accaritanum, Avittense⁴, Abbiritanum⁵, Canopitanum, Melizitanum, Materense, Salaphitanum, Tusdritanum, Tiphicense, Tunisense, Theudense, Tagesense, Tigense⁶, Vlusuburitanum, Vagense aliud Sigense, Zamense. Ex reliquo numero (non civitates tantum sed pleraeque etiam nationes iure dici possunt, ut) Natabudes, Capsitani, Musulami, Sabarbares, Massyli, Nicives, Vamacures, Cinithi, Musuni, Marchubi et tota Gaetulia⁷ (ad flumen Nigrim, qui Africam ab Aethiopia dirimit).“

Ex periplo:

22: „colonia Cirta . . . et alia (intus) Sicca, liberumque oppidum Bulla Regia . . . oppidum Tabraca civium Romanorum. 23: Theudalis immune oppidum. 24: Vtica civium Romanorum . . . colonia Carthago . . . colonia Maxula . . . liberum Clypea . . . item libera Curubis, Neapolis. 25: oppida libera Leptis, Hadrumetum, Ruspina, Thapsus, (inde) Thena, Aves, Macomades, Tacape, Sabrata. 41: Cercina . . . libera.“

¹ CIL VIII n. 1798.

² l. l. p. 158.

³ l. l. p. 177.

⁴ l. l. p. 100.

⁵ l. l. n. 814.

⁶ Ita scribo secutus Wilmannsium (CIL VIII p. 2). Nominum sequentium coniungenda sunt Vagense et Sigense. Distinguitur oppidum Vagense hoc modo ab eiusdem nominis municipio. Non rectam puto Mommseni coniecturam, qui (CIL VIII p. 508) coniungit *Tagesense Sigense* quia sequitur *Vagense aliud Sigense*. Nam discernuntur in huiusmodi laterculis nomina oppidorum ipsa si sunt paria, non cognomina insuper adiecta.

⁷ Puto haec quoque nomina, quamquam non alphabetice disposita, ex Augusto derivata esse. Nam, ut verbis *ex reliquo numero* apparet, excerpta sunt ex maximo populorum, quos praeter nominatos apud Augustum reperiebat, laterculo.

Ac primum quidem commemorandum est deesse in quinti libri indice auctorum nomen Augusti. Sed, excepto eo quod nomina singula oppidorum in genus neutrum adiectivi redacta sunt, quam formam ex genuina facillime efficere potuit Plinius, eosdem habemus tam singulares laterculos quos in Hispania, Narbonensi, Italia, Illyrico, Sicilia. Quare de eorum fonte dubitare non licet.

Iam ad singula accedam. Colonias Africanas Plinius dicit esse sex. Quae omnes inveniuntur, in mediterraneo 2, in periplo 4. Adsunt quoque oppida c. R. 15, mediterranea 13, maritima 2. Oppidum Latinum unum reperitur in mediterraneo. Tum sequitur in laterculis mediterraneis oppidum stipendiarium unum Castra Cornelia, deinde oppida libera. Quod vehementer offendit. Nam, quoniam Augustus melioris iuris civitates semper anteponit peioris condicionis oppidis (cf. e. c. III 12), stipendiarii sequi debent liberos. Accedit alia res. Nemo putabit unam solam Africae civitatem fuisse stipendiariam. Quam ceterarum eius provinciae populorum Natabudum, Capsitanorum, ceterorum plurimorum putabimus iuris fuisse condicionem? Ego non dubito quin fuerint stipendiarii. Cuius rei praeterea firmum extat argumentum titulus CIL VIII n. 68 a. a. C. 12, in quo nominantur *senatus populusque civitatum stipendiariorum pago Gursenses*. Quare mihi certum videtur scribendum esse *oppidum foederatum unum Castris Corneliis*, quod inter oppida Latina et libera recte interponitur. Commendatur coniectura etiam oppidi foederati singularitate, nam eius iuris civitates omnibus in provinciis fuere perpaucae. Spuria lectio fortasse Plinii incuria orta est¹. Liberos oppidorum numerus est 30. Ex iis nominantur in mediterraneo 17, in periplo 13. Nam Thena², Aves, Macomades, Tacape, Sabrata, quibus plenus fit ille numerus, certe iis adnumerandae sunt. Immune oppidum Africa habet unum Theudalim. Restant stipendiarii 516—54 = 462.

Iam quomodo auctorum inscriptionumque testimonia cum laterculis conveniant exponam. Confirmatur Plinii testimonium in pluribus civitatibus. Quae sunt coloniae:

Cirta, quo post Iubam devictum Sittiani, P. Sittii, Caesaris asseclae, milites deducti sunt (Appian. b. c. 4, 54 CIL VIII p. 618). Adicit Plinius Cirtae coloniae *cognomine Sittianorum*. Hoc Cirtae cognomen non

¹ Mommsenus (Staatsr. III 1 p. 685) putat Castra Cornelia fuisse oppidum Latinum stipendiarium. Sed e Plinii verbis nullo modo cognosci potest ea esse Latini iuris, deinde nomen stipendiarium apud Plinium semper significat civitatem peregrinam, non Latinam. ² cf. p. 43.

fuit (cf. CIL VIII l. l.). Sumptum est a Plinio non ex Augusto sed ex periplo, nam Mela, qui eodem quo Plinius utitur periegeta, habet (I 6, 30) *Cirta procul a mari, nunc Siltianorum colonia.*

Sicca. Quae a Caesare patre aut ab Octaviano triumviro deducta est, nam appellatur in titulis *colonia Iulia Veneria Cirta Nova Sicca* (CIL VIII n. 1632. Ioh. Schmidt Eph. epigr. V n. 1259).

Thurburbo. Quae et ipsa nomen habet Iuliae (CIL VIII n. 848).

Carthago. A Caesare accepit colonos a. 44 (Dio Cass. 43, 50. CIL VIII p. 133), deinde a. 29 novos ab Augusto (Dio Cass. 52, 43).

Oppidum civ. R.:

Utica. Quae, cum antea fuisset libera (cf. legem agrariam a. a. C. 111 CIL I p. 84), a. 36 ab Octaviano civitatem accepit (Dio Cass. 49, 16. CIL VIII p. 149).

Oppida libera:

Hadrumentum. Nominatur libera in lege agraria a. a. C. 111 (l. l.), item Thapsus.

Tiphica. Quae non diversa videtur fuisse ab urbe Thibica, quae certe usque ad Pii tempora peregrini fuit iuris (CIL VIII p. 96).

Avitta. Quam non diversam esse puto ab Avitta Bibba, quam, cum antea peregrini fuisset iuris, ab Hadriano municipium factam esse probabile est (CIL VIII p. 100).

Sed extant multa, quae laterculorum Augustorum auctoritatem infringere videntur.

Oppidum liberum extat in eis Zamense. At dicit Strabo (17 p. 829) *κατέσπασται δὲ καὶ Ζάμα τὸ τοῦτου* (sc. Iubae) *βασιλείου ὑπὸ Ῥωμαίων* (cf. l. l. p. 831), quod a. a. C. 40 factum esse probabile fit Dionis loco 48, 23¹. Quae res ut cum Augusto conveniat non ita explicanda est ut alteram quam praeter regiam novimus Zamam² liberam illam esse statuamus. Nam verisimile est Zamae regiae Caesarem quod partibus suis favebat, ut Cercinae et Thenae³, libertatem donasse. Praemiis certe eam affecit (bell. Afr. c. 97). At puto Zamam regiam Augusto regnante et fortasse etiam iuvante restitutam esse.

Oppidum civ. R. est apud Augustum Vaga. At appellatur *Οὐάγα* a Strabone (17 p. 831) inter oppida, quae Caesaris bello Africano interierunt. Sed tria fuere oppida Vaga. Unum, ut tituli (CIL VIII n. 1217. 1222) docent, situm erat ab Utica occidentem versus. Sed hoc, quod

¹ Mommsen *Hermae* vol. XX p. 146 adn. 1.

² Mommsen l. l. p. 144 sqq.

³ *Infra* p. 43.

Plinii municipium esse puto, certe non erat dirutum illud, nam titulo CIL VIII n. 1233 aedem Telluris urbis eius a. a. C. 2 refectam esse comperimus. Alteram Vagam nominat Ptolemaeus (4, 3, 28) in Numidia inter Ampsagam fluvium et Thabracam sitam. Hanc eam puto quam Plinius inter oppida libera ponit. Strabonis oppidum mihi videtur esse tertium, quod secundum auctorem belli Africani (c. 74) finitimum erat Zetae et a rege Iuba omnibus incolis ad unum interfectis militibus diripiendum delendumque datum est. Zeta autem aberat a Scipionis castris mil. pass. X. Certe igitur Vaga deleta non nimis longo spatio distabat a Thapso.

Sed Strabo l. I. alia refert, quibus fides habenda non est. Nominat inter civitates dirutas Thapsum, quae praeter HS XX multam nihil est passa (l. I.). Cercinam insulam et Thenam Caesarem ἐξ ἐφόδου cepisse dicit has quoque deinde numero dirutarum addens. Sed Cercinitani a partibus stabant Caesaris Sallustiumque praetorem ab eo frumentandi causa missum receperunt, quare non dubito, quin libertatem, quam habent apud Augustum, a Caesare tum acceperint. Idem de Thena statuendum est. Quare iam supersedeo de ceteris oppidis a Strabone nominatis loqui. Qui id quod de nonnullis oppidis recte dicebatur ad multa videtur extendisse.

Municipia dicuntur in indicibus etiam Assuras et Uci Maius. Assuras habet in titulo CIL VIII n. 1798 aetatis Severianae coloniae Iuliae nomen. Fuit opinor municipium Iulium a Caesare aut Octaviano constitutum et nomen tum acceptum servavit quo tempore colonia facta est. Imperatoris eam deducentis nomen omissum est in titulo. Uci Maius nominatur in titulis saec. III. et IV. colonia Mariana Augusta Alexandriana Uchitanorum Maiorum (Eph. epigr. V n. 559. 561). Ad quod nomen explicandum Ioh. Schmidtus (l. I.) locum adfert Aurelii Victoris de vir. ill. 73 *L. Appuleius Saturninus . . . ut gratiam Marianorum militum pararet, legem tulit ut veteranis centena agri iugera in Africa dividerentur*. Deductioni a C. Mario inceptae Augustum novis colonis missis succurrisse putat. A Mario eo deductos esse veteranos mihi quoque probabile videtur, at puto coloniam constitutam esse nullam sed singulas factas esse assignationes. Nomen Marianae deinde in huius rei memoriam eodem tempore, quo cetera nomina omnia urbi concessa sunt, inditum puto i. e. Alexandri Severi.

Oppidum Latinum apud Augustum nominatur Uzalis. Quod, quoniam in lege agraria a. a. C. 111 dicitur liberum, postea ius Latinum adeptum esse existimabimus.

Disiungit Plinius a triginta oppidis liberis oppidum unum immune. Quare, nisi immunitatis mentionem in liberis omisit, ea non fuisse immunita putabimus. Quod diiudicare non possum. Nominantur quidem Achulla et Leptis Minor in lege agraria a. a. C. 111 liberae, ab auctore belli Africani liberae et immunes (c. 7. 38) et, quia a partibus stetero Caesaris, eis a. 46 hanc iuris condicionem mansisse opinor, sed nihil obstat quominus eis, nescimus quam ob causam, ab Augusto immunitatem ademptam esse credamus. Fisco certe nimis magna pecunia detrahebatur triginta urbibus opulentis immunitate fruentibus.

Theudalis, quae apud Plinium est immunis, libertatem, quam habet in lege agraria, belli Africani fortasse vicissitudinibus amisit.

Sed extant aliae urbes, quae a Plinio aut oppida (sc. stipendiaria) aut civitates liberae nominantur et in titulis appellantur Iuliae. Quae sunt: Tusdrus (cf. laterculum militarem aetatis Severianae CIL VI n. 3884 p. V, 4 *A. Crepercius A. f. Iul. Felixs Tusdr.* CIL XII n. 686 [*municipio Septimia libe[ra] [T]hysdrianus*, cf. CIL VI l. l. p. III 21), Abbir Cella (CIL VIII n. 814 *municipium Iulium [Phi]l[ippianu]m*), Neapolis (l. l. n. 968 *col. Iul. Neap.*), Carpis (l. l. n. 1206 *col. Iuliae Carpit.*), Curubis (l. l. n. 980 *col. Iul. Curubis*), Hippo Diarrytus (l. l. n. 1206 *col. Iuliae Hipp. Diarr.*). Quas colonias Mommsenus a Caesare patre aut filio putat deductas. Quod cum Plinio non congruit.

Dicam primum de Hippone quae apud Plinium appellatur oppidum i. e. stipendiarium. Cuius extant incertae aetatis nummi inscripti *Libera|Hippone*¹. Eandem inscriptionem habent nummi Tiberii² et Clodii Albini³ tempore cusi. Appellatur deinde Hippo a Plinio minore (ep. 9, 33, 2. 5) colonia. Neque est cur id in dubium vocemus. Quod ut Plinii quoque ratione habita explicet Zumptius (comm. ep. I p. 407), putat Hipponem a Tiberio libertate donatam deinde eo tempore, quod inter Plinios maiorem et minorem intercedit, coloniam factam esse. Quod Clodii Albini nummo redarguitur. Quare Mommsenum sequor, qui (CIL VIII p. 152) putat ad *libera* supplendum esse *colonia*. Puto Hipponem post indicem Augusti confectum aut extremis Augusti annis aut Tiberio principe coloniam liberam esse factam. Nomen Augustae, quod etiam a Tiberio una cum altero Iuliae datum puto, in titulo supra memorato potest esse omissum.

¹ Mionnet VI p. 588 n. 45. 46. L. Müller numism. de l'ancienne Afrique II p. 167 n. 374 sq. ² Mionnet l. l. n. 47-49. Müller l. l. n. 376-378.

³ Mionnet Suppl. IX p. 207 n. 9. Müller l. l. p. 168 n. 379.

Eodem tempore ortas puto colonias Carpin, Neapolim, Curubim. Tusdrus, quoniam municipii ius accepisse videtur a Septimio Severo, nomen Iuliae cum libertate fortasse adeptus est a Caesare patre aut filio¹. Quamquam (ut Tusdrum excipiam) aliam etiam video cogitari posse explicationem. Nominatur Abbir Cella in titulo supra allato *municipium Iulium Philippianum*. Erasum est in eo non solum *Philippianum*, sed etiam *Iulium*. Quare non dubito, quin etiam nomen Iulium a. M. Iulio Philippo datum sit. Possunt igitur etiam coloniarum illarum nomina ab eo originem traxisse. Quocum optime convenit quod titulus n. 968 anni est p. C. 282/3, n. 980 eiusdem fere est saeculi (n. 1206 quando incisus sit nescio). Reliquit Philippus in Africa haud parva imperii sui vestigia. Miliarii alique tituli nomen eius ferunt non pauci². Illud quoque afferendum videtur quod secundum Iulium Capitolinum (Gordiani 30, 8) Philippus Africanorum et Syrorum potissimum in Gordianum amorem timebat. Quorum animos ut sibi conciliaret privilegia et titulos donasse videtur.

Obici potest explicationi meae quod in titulis Curubitanis CIL VIII n. 977 a. a. C. 45 et n. 978 a. a. C. 20 inveniuntur duoviri et quod Clupeae etiam novimus duovirum eiusdem fere temporis (CIL X n. 6104). Sed non est cur hoc tempore in oppidis Africae liberis magistratus huius nominis non fuisse existimemus, praecipue cum utraque urbs mari adposita frequentissimum certe cum Romanis habebat commercium. Decurionibus deinde etiam peregrinas urbes usas esse comprobatur titulis CIL VIII n. 797. 765. Denique in utroque titulo Curubitano inest quaedam res, quae in coloniis Romanis certe est inaudita. Non dico magistratus ordinis libertini, quos allato legis Iuliae Genetivae loco quodam (CV 5, 20—23) Mommsenus etiam in coloniis inveniri posse ostendit (eph. epigr. p. 132 sq. Staatsr. III 1 p. 452), sed quod singuli in illis titulis reperiuntur duoviri ubi utrumque nominari par fuit (cf. in CIL. ad titulos illos adnotata).

Restat ut laterculorum Augustorum tempus definiam. Scripti sunt post a. 36 propter Uticam (supra p. 42), post a. 25, quia in eis Numidia cum Africa est coniuncta (cf. Marquardt Staatsverwaltung I² p. 466), ante Tiberium propter Hipponem (supra p. 44).

¹ Idem si factum esse statuimus cum Neapoli et Curubi, in titulis n. 968 et 980 putandum est excidisse nomen eius, qui coloniam deduxit.

² CIL VIII n. 10022. 10049. 10077. 10078. 10120. 10139. 10140. 10216. 10241. 10299. 10317. 814. 815. 8323.

Nunc, quoniam singulas provincias perlustravi, ea, quae de indicum Augustorum tempore inveni componam.

Scripti sunt:

Hispanienses	post a. a. C. 19,	ante ultimos Augusti annos,
Narbonenses	„ „ „ „	27, non post Tiberium,
Italici	„ „ „ „	9, ante ultimos Augusti annos,
Illyrici	„ „ „ „	9, „ Claudium,
Sicilienses	„ „ „ „	21, „ ultimos Augusti annos,
Africani	„ „ „ „	25, „ Tiberium ¹ .

Iam ad originem eorum investigandam accedo. Atque mihi quidem accuratius eos inspicienti censorios eos esse certum visum est.

Primum inspiciendus est locus Plinii n. h. VII 162—164. Loquitur de longaeuitate cuius exempla affert *experimenta recentissimi census, quem intra quadriennium imperatores Vespasiani pater filiusque censores egerunt*. Nominat primum singulos, qui insignem detulere annorum numerum, deinde dicit *ac ne pluribus moremur in re confessa, in regione Italiae octava centenum annorum censi sunt homines LIIII* cet. . Videmus igitur descriptionem Italiae in regiones, quam apud Augustum Plinius invenit, censui habendo esse adhibitam².

Deinde urbes in censorum laterculis ita ut in indicibus Augusti i. e. alphabetice fuisse dispositos, huius rei in Phlegontis Tralliani macrobiis³ clara invenisse mihi videor vestigia. Qui eisdem quibus Plinius Vespasiani census laterculis utens⁴ nomina eorum, qui centum annos vixere ita disponit⁵:

Lucii:	Placentia	quinque
	Brixello	tnus
	Foro Corneli	unus
	Velleia	unus

¹ Beloch *Die Bevölkerung der griechisch-römischen Welt* p. 322 sqq. librum, quem secutus Plinius colonias, municipia cet. nominat, Claudii tempore scriptum esse putat, sed argumenta eius nihil valere tota mea commentatione comprobasse mihi videor. ² cf. Marquardt *Staatsverw.* I² p. 220.

³ Müller fr. 29. *Rerum natural. script. gr. min.* ed. O. Keller p. 85 sqq.

⁴ Mommsen *Staatsrecht* II² p. 358 adn. 2.

⁵ Singulos Caesellium, Catiam, Petroniam, Polliam, Turellam, Antoniam, Albatiam, Salviam, Baebiam omisi. — Nomen oppidi unde est Pollia in codice scribitur Αἰρωτάς. Puto in eo idem latere oppidum quod in nomine Ὀπρίσας Baebiae adiecto, Otesiam dico, cf. Plin. n. h. III 116 *Otesini* (supra p. 18).

Gaii:	Bononia	unus
	Brixello	unus
	Foro Corneli	unus
	Parma	duo
	Placentia	unus
	Ravenna	unus
	Velleia	unus
Publii:	Foro Popili ¹ (?)	unus
	Regio ² (?)	unus
	Arimino	unus
Marci:	Velleia	unus
	Placentia	tres
	Bononia	unus
	Parma	unus
Titi:	Parma	unus
	Regio	unus
	Bononia	unus
	Placentia	unus
	Bononia	unus
	Placentia	unus
	Regio	unus
	Bononia	unus
	Fidentia	unus
Quinti:	Regio	duo
	Velleia	unus.

Inspicientibus, quomodo in his laterculis secundum praenomina formatas urbes sint dispositae, eas alphabetice fuisse ordinatas clarum fit. Perturbatus quidem est hic ordo omnino in indicibus Publitorum, Marcorum, Titorum, in quibus ne eiusdem quidem oppidi viri mansere coniuncti. Luciorum indicem ita videmus esse mutatum, ut Placentini sint antepositi, reliquae tres urbes ordinem ostendunt alphabeticum. Qui totus servatus est in Gaiorum et Quintorum laterculis. In quo etiam illud observandum Bononiam et Brixellum, Parmam et Placentiam eodem modo quo apud Plinium³ unam alteram sequi, cum legibus ordinis alphabetici, quae apud Augustum valent, etiam dispositio Brixellum Bononia, Placentia Parma licita fuisset. Colonias apud Augustum antepositas hic reliquorum oppidorum numero videmus insertas.

¹ Πολλησίας cod.

² Bormann CIL XI p. 173.

³ III 115 sq. supra p. 18.

Iam e laterculis Augusti ipsis argumenta promam. Extant in iis numeri capitum Hispaniae conventuum Asturi Lucensis Bracarum, qui certe e tabulis censoriis sumpti sunt¹. Videntur etiam Delmatarum decuriae ad censum referendae esse (§ 142 *viribus discriptis in decurias*).

Denique afferendus esse mihi videtur locus n. h. III 37 *adiicit formulae Galba imperator ex Inalpinis Avanticos atque Bodionticos*. Formula igitur dicuntur indices Augusti, qui haec verba praecedunt. Id quoque censorios eos esse demonstrat. Conferendus est primum locus legis Iuliae municipalis (v. 142 sqq.), quo municipiorum Italicorum magistratus iubentur censum agere civiumque nomina accipere *ex formula census, quae Romae ab eo qui tum censum populi acturus erit proposita erit*, deinde Livii (29, 15) *censumque in iis coloniis agi ex formula ab Romanis censoribus data*². Certe non ii quos tenemus laterculi singulis oppidis missi sunt, sed tamen partem eos puto formulae et tamquam totius census summam. Nam iis adiectos fuisse certe numeros eorum qui singulos habitabant conventus exemplis supra allatis apparet.

Iam censorios esse laterculos Augustos demonstrasse mihi videor. Atque Italiae quidem descriptio fortasse a. a. C. 8 composita est. Habuit enim Augustus hoc anno censum, de quo ipse dicit in mon. Anc. c. 8 [*Iteru*]m *consulari cum imperio lustrum [s]olus feci C. Censorin[o et C.] Asinio cos. cet.* Provinciarum quoque indices eiusdem fere anni statum ostendere existimo. Recte quidem Mommsenus³ nunquam communem imperii Romani censum actum, recte Ungerus⁴ ne provinciarum quidem census omnes uno tempore factos contendunt, sed civitatum imperii indices uno tempore confectos certe colligere potuit imperator.

Restat ut exponam quomodo Augusti indices in Plinii manus venisse putandum sit. Sed ero brevis, nam de hac re nisi provinciarum ceterarum descriptionibus Plinianis examinatis plenum iudicium ferre non possumus. Atque ea quidem quae afferunt de census Vespasiani macrobiis Plinius atque Phlegon ex actis p. R. hauserunt. Commemorantur enim acta n. h. VII libri auctorum indice et eiusmodi res actis publici iuris esse factas loco n. h. VII 60 demonstratur⁵. Sed

¹ III 28. supra p. 10. Consentit mecum Unger *De censibus provinciarum Romanarum*. Leipziger Studien X 1887 p. 61 adn. 6.

² cf. Mommsen Staatsr. II² p. 359 sq.

³ Staatsr. II² p. 408 sqq.

⁴ l. l. p. 69 sqq.

⁵ Accedit quod et actorum in indice eius libri commemoratio (nam ultimo paene loco apparent) et de censu Vespasiani verba, cum lib. VII de reliquo iam esset confectus, addita videntur esse. Nam scripsit Plinius lib. IV. a. fere 73 (cf.

longos illos Augusti indices in acta relatos esse nemo putabit. Id quoque non probabile est Plinium eos in archivo abditos descripsisse, ad quod si ei aditus patuisset, sui certi temporis laterculos excerpisset.

Quare iam non dubito quin indices ab Augusto libri forma fuerint editi. Quam census formulae editionem ab Augusto institutam rem sub imperio fuisse singularem et quam imperatores subsequentes non imitati sint, hoc et ipsum eo demonstratur quod Plinius laterculis utitur ante octoginta fere annos scriptis. Breviarium illud imperii, quod Augustus a. p. C. 14 Tiberio reliquit, ab hoc Augusti libro diversum puto. Quo certe imperii continebatur status ut erat ultimis Augusti annis, quem ab eo anni a. C. 8 haud mediocriter diversum fuisse commentationibus meis de Hispania Italia Sicilia comprobatur.

102 triginta prope iam annis notitiam eius (sc. Britanniae) Romanis armis non ultra vicinitatem silvae Caledoniae propagantibus), septimum igitur non multo post. Libri VII. § 162—164 autem anno fere 77 scriptae sunt, nam census Vespasiani, qui anno fuit 73 (CIL II 185. Wilmanns ex. I. n. 919), intra quadriennium fuisse dicitur.

V I T A.

Natus sum Otto Cuntz a. h. s. LXV die X mens. Sept. Sedini patre Hermanno, matre Maria e gente de la Barre, quibus superstibus adhuc gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae. Gymnasia patria frequentavi municipale inde ab a. LXXIV, ab a. LXXVI Marianum. Maturitatis testimonio vere anni LXXXIII instructus studiis historicis et philologicis operam daturus universitates adii Turicensem, cuius per sex menses, Argentinensem, cuius per tria semestria, Bonnensem, cuius per septem fui civis.

Docuerunt me viri clarissimi Honegger Meyer de Knonau Tobler Turicenses, Baumgarten Bayer Martin Michaelis H. Nissen Scheffer-Boichorst Schoell Studemund Wiegand Windelband Argentinenses, Bechmann Buecheler Dove R. Kekulé Meyer Nissen Rein Schwartz Usener Wilmanns Bonnenses. Proseminarii philologici Argentinensis per bis sex menses, Bonnensis per sex fui sodalis. Buecheleri Luebberti Useneri egregia erga me benevolentia factum est ut in seminarium philologorum Bonnensium reciperer, cuius per bis sex menses fui sodalis. Seminarii historici exercitationibus ut interesset comiter permiserunt Scheffer-Boichorst et Wiegand Argentinenses, Dove Menzel Nissen Ritter Bonnenses. Sodalibus seminarii geographici me adscripsit Rein. Exercitationibus philologicis ut interesset benigne concessit Buecheler.

Quibus viris omnibus gratias habeo maximas. In primis vero Buechelero Nisseno Usenero quid debeam nunquam obliviscar.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I. Testamentum Lingonis cuiusdam civis Romani (Ad. Kiessling *Anecd.* Basil. 1863. Bruns fontes iur. ed. V p. 297 sqq.) propter verba Plinii n. h. IV 106 *Treveri liberi antea et Lingones foederati* ante Galbam factum est.

II. Iulii Obsequentis prodigiorum librum nihil aliud continere quam excerpta Liviana contra sententiam Nitzschii (*Die röm. Annalistik* p. 239) contendo.

III. Pomponius Mela Caligula an Claudio imperante scripserit, id quod diiudicare conatus est Frick (*Philol.* XXXIV p. 741), propter geographi huius suorum temporum negligentiam discerni nequit.

IV. Iuvenali sat. X scribenti Taciti annales notos fuisse puto (cf. praecipue sat. X 329 sqq. ann. XI 12).


V. Caput Caesaris sidere crinito ornatum quod extat in nummo (Cohen I p. 9 n. 20 tab. I) secundum divi Iulii simulacrum ab Octaviano in foro consecratum (Plin. n. h. II 94) formatum est.

VI. Inscriptione vici Hebran (de Vogüé *Syrie centrale. Inscr. sémit.* 1869 p. 100 n. 1) non demonstratur Nabataeos ad temporum digestionem imperatorum Romanorum annis usos esse (Mommsen *R. G.* V p. 478 adn. 2), sed vicum Hebran provinciae fuisse Syriae.

VII. Achaiae qui a. a. C. 27 fuerint fines non secundum Strabonis verba (17 p. 840), ut facit Mommsenus (*R. G.* V p. 234 adn. 1), sed secundum aliorum, praecipue Dionis (53, 12), testimonia diiudicandum est.

VIII. Pertzii sententia (*MG. SS.* III p. 363 sq.), qui contendit Flodoardum semper fidelem fuisse Artoldi Remensis archiepiscopi asseclam non recta est, nam a. 941 ad partes Hugonis transiit (cf. *hist. Rem. eccl.* IV c. 28 sq.).

IX. Monodi argumenta quibus Flodoardum in componenda *hist. Rem. eccl.* annalibus suis usum esse comprobare studet (*Revue crit.* VII 1873 2. p. 263), futilia sunt.







This book should be returned to
the Library on or before the last date
stamped below.


A fine of five cents a day is incurred
by retaining it beyond the specified
time.

Please return promptly.

JUN 24 1915

DUE OCT 1 1917

FEB JAN 17 1920



Lp 27.224
De Avgvsto Plinii geographicorvm av
Widener Library 004510545



3 2044 085 223 907

